30889

T.G.
H.R.G.

Special
Coll.
1593
Hub

DEMONSTRATIO FALlaciarum Johannis Calvini,

IN DOCTRINA DE COENA DOMINI: QVIBVS VSVS est in libro Institutionis Christianæ, & ex quo suum Calviniſmum in omnem egurgitavit Christianum orbem.

SAMUEL HUBERUS HELVETIVS BERNENSIS S. S. THEOLOGIAE Doctor & Profeſſor in inclyta Academia VVitebergenſi.



VVITEBERGÆ, Typis Zachariæ Lehmanni. ANNO M. D. XCIII.

VVITEBERGÆ,
Typis Zachariæ Lehmanni.
ANNO M.D.XCII.

GENEROSO ET AMPLISSIMO VIRO, DOMINO GEORGIO ROSENCRANZIO, Inclyti Regni Daniæ Proregi Illustri, & Consiliario dignissimo, Domino hæreditario in Rosenholm &c. Præsidi in Kallo, Domino suo.

Gratiam & pacem à Christo Jesu Domino nostro.

MVLTI præclari viri, Inclyte Prorex, scriptis eruditissimis omnem controversiæ statum de cœna dominica explicuerunt, et contra Sacramentarios horumq; profana argumenta feliciter depugnarunt: mihi unum hoc negotium hoc tempore sumsi, horis aliquot succisivis, fraudes Calvini, quo Sacramentariorum plus cæteris omnibus auxit hæresin, ex unico ipsius detegerem scripto: eò potissimum adductus, quia studiosam juventutem facilè animadverti, scripto illo Calvini plus quàm alijs omnibus in fraudem & pernitiem trahi.

Neq; ego ad commonefaciendam Ecclesiam contra Calvinianos errores expeditiorem esse viam existimo, quàm aperire, perspicuè explicare, & digito etiam demonstrare fraudes, technas, strophas, quibus hoc genus hominum utitur: scilicet, ubi ad Ecclesiæ aliquando accedit consensum, ut simpliciores opinione implicet veri & sinceri consensus; vicissim ubi resilit atq; palàm cervici Ecclesiæ Christianæ insultat; ubi etiam omnia blasphema & abominanda quamprimum se specu fraudum suarum involvit, egerit & effulminat in Deum excelsum, & tum porro sannis atq; ludibrijs tenellã Christi sponsam sæuissimè transijcit & transfigit. Non hic multo sudore & labore opus erat in homine fraudulentissimo Iohanne Calvino aperiendo: crassa. n. & perspicua sunt documenta versuti hominis in libro, quem nominauit Institutionem Christianam. Quibus veritas & candor atq; salus propria curæ est, abundè habebunt, tum ut ab auctore isto, qui sectæ suæ nomen & hederam dedit, abstineant, tum ut in omnibus eius sectatoribus idem ludendi & illudendi perpetuum & versatile agnoscant studium.

Novit autem Inclytus Prorex regni Daniæ, atq; tutor regij stemmatis, quomodo hæc nostra ætas, ignaviæ & veterno dedita, parum de religionis custodia sit solicita, atq; facilè se Calvinianarũ Syrenum cantillationibus falli & circumduci sinat: quo factum est, ut sicut aliis regnis atq; nationibus, ita etiam Regno Danico lues ista plurimum intulerit damni: Vbi fortasse multi sunt, qui Calvini & sectæ ipsius improbitatem nondum intellexerunt, nec etiam horrenda dogmata, quæ de die in diem è secta ista pullulant: quibus etiam gratum est atq; erit, & acceptum, contra istum meridiè ambulantem Cacodæmonem admoneri: alij, paucis in dogmatis discrimen aliquod positum esse existimant, atq; moderationem conflictuum desiderarunt fortasse hactenus: visa autem iam tanta improbitate sectæ huius, intelligent, nulla omnino posse sectam hanc pugna invadi nisi acerrima. Alij sunt, qui delitescunt in insidiis, omne sectæ huius virus clàm propagantes, interim nihil magis reformidantes, quàm nomen Caluini, quod etiam secta ipsi infaustum & ominosum est: Vbicunq; eiusmodi sunt occulti Ecclesiæ vastatores, hi ex ipsa doctrina, quam cum Calvino communem habent, vel erroris vel malitiæ, & Calvini sui, quem occultè fovent, fraudum, convincendi sunt. Alij sunt, qui toto pectore ad horribilem hanc doctrinam eiusq; propagandæ fallacissimum modum tremunt, atq; Ecclesiarum corruptelas animo, vero zelo ardente pensitant: His Heroibus ingratum esse non potest, sectæ huius malitiam in apricum produci.

Ex horum Heroum numero Illustrem Generositatem tuam esse, non Regno duntaxat Danico, sed ipsi etiam Germaniæ alijsq; populis abundè constat. Precamur itaq; Deum, ut hanc inclytam mentem spiritu suo indesinenter perfundat & irriget ad salutem Regni, atq; propagationem veritatis, quam Rex pientissimus FRIDERICVS II. magna instituit, & ad posteros transmisit laude. Det Deus Illustrissimo Regi CHRISTIANO IV. spiritum, quem dedit Iosiæ Regi, ut in eo adolescat, & efflorescat ad gloriam Dei excelsi. Similiter fratri germano atq; Illustrissimo VDALRICO Duci &c. qui in Academia Lipsensi à Theologis orthodoxis veram atq; orthodoxã hoc tempore haurit doctrinã. Almus Dei spiritus regiũ hunc imbuat atq; conservet sanguinẽ, ut Regis paternis vestigijs zelo atq; pietate ingrediatur.

Hic

Hic verò Illustrem Generositatem tuam de periculo Regni Danici obiter admonere possumus: nescio sanè an alijs in Regnis ejusmodi fraudes à quibusdam designentur, atq; in amplissimo isto Regno Daniæ. Habetis enim, ut veritatem ingenuè dicam, qui simulant se in doctrina de Cœna Domini sentire cum Ecclesia orthodoxa, & reformatione instituta à FRIDERICO. II. qui tamẽ ut sunt precipuæ in Ecclesia auctoritatis, Calvini tuentur sententiam. Hi ipsi in articulo de prædestinatione hactenus visi sunt quàm longissimè abhorrere à Calvino & gorgone prædestinationis ipsius, qui tamen dissimulanter eadem doctrinæ flagitia & extremas Ecclesiæ Danicæ corruptelas disseminant, & propalàm tandem (nescio an Danis vestris constet) cũ primis Calvinistis conjurant & conspirant; nisi libri qui eduntur ipsorum nomine, falsò ipsis inscribantur. At verò si hoc esset, dudum etiam & gloriam Christi & scipsos contra Sycophantas illos defendere debuissent. Major est nobis cura Ecclesiæ majorq; sollicitudo pro miseris animabus, quæ clandestinis suffocantur dolis, quàm ut hoc reticere & tegere velimus.

Editus est liber, Anno 1587. Basileæ sub hoc titulo: Thesaurus veræ & orthodoxæ fidei ex præstantissimis Theologis adversus varias hæreses. Hic observet Illustris Generositas tua primò, quòd publicè in libro illo damnatur doctrina Ecclesiæ, quam Lutheranam appellamus, doctrina, inquam, Ecclesiæ etiam vestræ reformatæ sub Rege FRIDERICO. II. nec damnatur duntaxat, sed etiam hæreseos in ipso titulo cum alijs hæresibus accusatur: Deinde Illustris Generositas tua observet nomina & Catalogum præstantissimorum Theologorum (sicuti sese ex humili Calviniano spiritu suo jactitant.) qui auctores fuerunt libri illius. Numerantur autem hoc ordine:

1. Spiritus Sanctus. a
2. Zacharias Ursinus.
3. Hieronymus Zanchius.
4. Theodorus Beza.
5. Johannes Iacobus Grynæus.
6. NICOLAUS HEMINGIUS.
7. Auctor huius scripti.

a Hunc socium Grynæi cæterorumq; assectam fecerunt, impudentissimi & blasphemi homines. Deinde computant eum numero præstantissimorum Theologorum &c. v. de titulum libri & subscriptores versa pagella.

In hoc Catalogo continetur Nicolaus Hemingius, qui se socium & auctorem omnium doctrinarum profitetur, quæ in libro isto continentur, & cum summis Calvinistis & per summum in spiritum Sanctum nefas, cum hostibus Ecclesiæ & reformationis Danicæ nomen suum palàm profitetur. Talisq; à vobis censendus est, donec publico scripto sese purget et se insontem demonstret; neq; juvabit eum ejuratio Calvinismi, cùm post illam liber iste, quo Calvinismo se iterum devovit, editus sit. Scimus quid auctoritas viri illius in Dania hactenus fecerit: Est itaq; hoc patefaciendum, ut liberet se à suspicione, multasq; anxias animas à nexu Calvini extrahat, si sese insontem noverit. Mihi etiam hoc eò magis incumbit, ut admoneatur, quia Grynæus artifex sectæ huius fraudulentissimus & vastator patriæ meæ perfidissimus, hoc parastata in omni sua doctrina gloriatur, atq; consensum Danicæ Ecclesiæ sub titulo Hemingii in omnibus articulis, etiam illo, quo ex professo Calviniana prædestinationi patrocinatur, spargit & disseminat, homo qui omnem fidei & pudoris frontem amisit.

Edidit quoq; Hemingius superiori anno librum, de gratia universali, in quo videtur quidem particularios Calvinistas adoriri, verùm quàm sanctum sit ipsi nomen Calvini, vel hinc constat, cum folio 76. Iohannem Calvinum Clarissimum & virum sanctæ memoriæ appellet, ubi etiam colubri illius verba quædam citat, quæ præ se ferunt notionem universalitatis in promissionibus, cùm tamen Hemingius non minus quàm ego ipse intelligat, verba illa Calvini ex principijs Calvinianis alium habere sensum, quàm ut universalitatem contineant. Nouit etiã Hemingius, quæ Calvini sint scripta de hac doctrina, quomodo ipsemet quoq; hactenus visus fuerit in isto articulo Calvinũ oppugnare: nec nõ argumenta quæ confutanda sibi sumsit, Calvini erant argumenta. Cur ergò eũ, quem ut hostem invadit, tanto præconio laudis in ea ipsa materia compellare audet? Aut si maximè Calvinus in testimonio citato rectè & sine Calviniano dolo sentiret, cur non potius hominis uafriciem & desultoriam levitatem & pernitiosissimas insidias culpavit & detexit? Quid enim vir ille vel Hemingio vel Ecclesiæ commodi attulit, præsertim in hac doctrina

ut tantũ

ut tantis celebraretur laudibus? Quisquis hoc Calvini encomium legit aliter interpretari non poterit, quam Hemingium in asserenda universalitate promissionum, Calvinistarum, quibus se in libro veræ & Orthodoxæ fidei adjunxerat, eblandiri voluisse benevolentiam.

Nolim verò illi maculam aliquam inurere; scio autem quantum interfit Ecclesiæ Danicæ, ut hoc manifestetur: Et ne quis existimet perfunctoriè tantum aliqua commissa fuisse, legatur liber veræ & orthodoxæ fidei, cui Hemingius, Grynæus, Spiritus Sanctus &c. calculos suos adjeciisse feruntur. Traditur ibi:

Quòd Deus absoluta voluntate damnet homines.
Traditur, voluntatem Dei arcanam, contrariam esse revelatæ.
Deum velle simpliciter, ut homines peccent & pereant.
Certos homines certis medijs & definita voluntate eò destinasse.
Non esse iustum, respectu Dei, quod nobis faciendum præceperit.
Perdi à Deo, quos multa cum laude servare poterat.
Creari homines ad mortem.
Dei voluntatem non esse propriè, ut Christus moreretur pro salute omnium.
Deum ἐνεργεῖν omnia mala in hominibus.
Creare instrumenta, ut illa moveat & agat ad mala.
Trudere nescientes & invitos in peccata & mortem.
Deum efficaciter, etiam immediatè flectere aliquos ad scelera.
Hominem absoluta necessitate perire.
Vniversales promissiones Evangelij non esse universaliter accipiendas.
Reprobari homines non ob futura peccata & noxam, sed propter beneplacitum Dei.
Naturarum in Christo proprietates non posse de se invicem prædicari.
Christum ἐνεργεῖσθαι tantùm & comparatè ab aliis differre hominibus.
Ἀνθρώπων esse in proprietatum κοινωνίᾳ.
Non omnia agi à Christo per humanam naturam.
Quales corporum nostrorum qualitates in glorificatione, tales etiam Christi, nec ampliores
Christi corpus non penetrasse fores, sed fores cessisse.

Christum

Christum in Cœna substantia sua non adesse, nisi adsit palpabiliter.

Ascensionem Christi localem esse.

Christum esse in loco procul à terra disito.

Qualis ascensio Christi, talem quoque nostram futuram.

Non esse realem præsentiam.

Hæreticos esse Lutheri sententiam sequentes.

Hæc & similia multa in libro illo continentur, *atq; pro confessione Hemingij sunt evulgata, eiusq; titulo Ecclesijs propinantur: Quòd si itaq; hanc doctrinam disseminat, aut nomine suo evulgatam non oppugnat, manifestum est, cui religionis caries, quæ Daniam ut & cætera regna invasit, imputanda sit, admonendiq; sunt proceres utriusq; ordinis, ut Ecclesiæ & posteritati summa diligentia adversus ganagrenam istam prospiciant: neq; enim ullam pestem latentius & fraudulentius hac vires sumere, jam multorum annorum exempla docuerunt.*

Illustri uero Generositati tuæ alijsq; regni proceribus, qui reformationem Danicam sartam & tectam cupiunt, ex toto animo precor, spiritum sapientiæ & roboris: atq; post diuturnos labores, quibus ætas hæc generositatis tuæ dudum est defatigata, det Deus æternus gloriam & coronam immarcessibilem atq; sempiternam. Idemq; Deus Generosum Dominum Oligerium filium, assectantem studijs, pietate & zelo, pium parentem & universæ Academiæ nostræ ob virtutes charum & admirabilem conservet & custodiat ad Ecclesiæ vestræ amplissimum comodum. Hujus si familiaritate abusus, tanto viro ipsius nimiũ generoso Domino parenti ausus fui, opellas meas dedicare, rogo reverenter & submisse, ne Generositas tua in malam accipiat partem. Sic enim dedico Generositati tuæ, ut existimem scriptum istud eo nomine multis apud vos probatum iri: Quod faxit Deus, nostrisq; benedicat gratia sua curis pro grege Dominico. VViteberga. Anno 1593. 29. Augusti.

Inclytæ generositati tuæ

deditissimus

Samuel Huberus D.

DEMONSTRATIO FALLACIARVM IOANNIS CALVINI, *in doctrina de cœna Domini.*

SCripsit Iohannes Calvinus librum Institutionis, ut vocat, Christianæ, in quo poculum fallaciarum adversus Sacrosanctam cœnam Dominicam miscuit, maximumque hoc Ecclesiæ, quo etiamnum laborat, intulit damnum. Vsus est autem hac arte potissimum, ut splendidiori & sublimiori quàm cæteris in scriptis suis uteretur dicendi genere, ut eius admiratione ad popinam fraudum suarum simpliciora attraheret ingenia. Tractavit eo in libro non tantùm negotium istud, sed etiam reliquas, de quibus nobis est plurimum negotii cum Pontificiis controversias, & quædam alia, quæ intentionem adhuc nullam devenêre. Intendit in eis omnibus ingenii vim, (quam si ad bonum convertere voluisset, non vulgarem habebat) ut multa non ineptè & incongruè diceret, nec etiam pontificios imperitè adoriretur: Verùm omnia hæc eò spectabant, ut tum sævam de prædestinatione, sicuti eam novam novus ille homo effinxit: tum scelératissimam & plenissimam insuper fraudum, de cœna Domini sententiam, quam miro ingenio exculpsit, & exquisitissima fallendi arte incrustavit, absconderet, & ceu aliud agens in Ecclesiam ingereret Iesu Christi. *Calvini fraus & versutia.*

Cùm itaque hactenus de Calviniana prædestinatione, quam discipuli ipsius ex principiis, quæ in libro eo statuerat, excoluerunt & propagarunt, multa scripserimus, idque cum Ecclesiæ, ut apparet, non spernendo commodo: arbitramur non minus ad publicum quoq; usum pertinere hominis istius incredibiles patefacere fraudes, quibus usus est in doctrina de cœna Dominica, atq; id duntaxat eo in libro, quem multi quidem stupida quadam styli admiratione plus æquo diligunt,

at interim parum cauti intricatum illud nequitiarum & fallaciarum poculum bibunt. Hoc enim verissimum est, mentiendi, calumniandi fallendique studium & scientiam à nullis sectæ huius propagatoribus tanto nisu & molimine exerceri potuisse aut posse, ut non omnes quotquot sunt, in grege isto, qui summum eò intendunt studium & diligentiam, à præceptore suo adhuc superentur. Hi enim nihil aliud obtinent, nisi quod à spiritu eius afflati omnia hæc eo duce in Ecclesia designant mala, quibus propemodum multis in locis adobruitur, interea verò ut discipuli longè in inferiori subsidunt gradu, præceptori primas decipiendi & illudendi Ecclesiam semper & abundè relicturi: Vbi itaque aperuerimus fallaciarum principia & fontes, ex quibus auctor sectæ huius suum exstruxit Calvinismum, non levi ducimur spe, multa pia experrectura corda, & hoc κριτήριον, de quo Iohannes loquitur, in diiudicandis spiritibus, non adversus librum Calvini duntaxat, sed præcipuos doctrinæ ipsius imitatores dextrè usuros. Nihil autem proponemus nihilque accusabimus, quod non evidenter simus demonstraturi, atque eo ordine modoque, ut fallaciæ Calvini suis distribuantur certis locis, verbaque ipsius adscribantur, quæ à lectore in libro deceptoris illius investigari & eodem sensu ponderari possunt: ubi vicissim à lectore nihil aliud requirimus, quàm animum attentum, & cupidum agnoscendæ veritatis & glorificandi Deum, & ex adverso mendacia horumque autores detestandi, ubi immanes illæ fraudes in apricum productæ fuerint. Deus adsit & sanctificet institutum istud ad amplissimam nominis sui gloriam, Amen.

DEMONSTRATIO PRIMAE FALLACIAE.

Statum pervertit Calvinus.

HOc artis est in summo fallendi genere, ut status controversiæ coram inperitis æquivoco verborum lusu obscuretur, aut alio transferatur: ratio est, quòd plerunque, ubi status

status, ex quo oritur controversia, liquidò ponitur, statim in ipsa fronte emicant fundamenta Christianæ religionis, iam antè Christianis probè cognita, ex quibus simplicissimi quiq; veritatem agnoscunt & contrarium à se repellunt. Quocirca Calvinus & hunc subsecuti Calviniſtæ omne quam vaferrimè impenderunt studium omni tempore, ut in omnibus controversiis statum transfigerent, atque auditores lectoresq; aliò converterent.

Sic Calvinus hoc loco: nam controversiæ huius de cœna Domini statum sic collocat: *Quomodo Christi corpus, ut sit nobis pro nobis traditum est, nostrum fiat: quomodo sanguinis effusi participes fiamus, scire imprimis referebat: quia id est totum Christum crucifixum possidere, ut bona eius omnibus fruamur. Nunc his omissis, quibus tantum inerat momenti, imò neglectis & penè sepultis hæc una spinosa quæstio illius placet, quomodo sub pane vel sub specie panis lateat Christi corpus. Falsa jactant, quicquid docemus de spirituali manducatione verè & reali (ut loquuntur) opponi: quandoquidem non nisi ad modum respicimus, qui apud eos carnalis est, dum Christum pane includunt: nobis spiritualis, quia vu arcana spiritus, nostra cum Christo coniunctionis vinculum est.* Lib. 4. cap. 17. §. 38.

Et paulo antè dixerat: *Ergo tantùm de modo quæstio est: Quia Christum ipsi in pane locant, nobis autem non ducimus fas esse eum cœlo detrahere, utrum rectius sit, judicent lectores. Tantùm facessat cœlumnia illa, auferri Christum à sua cœna, nisi sub panis integumento lateat. Nam cùm mysterium hoc cœleste sit, necesse non est, Christum elicere in terras, ut nobis sit coniunctus.* §. 31.

In obscuratione & translatione status gemino artificio usus est. Primò, ut sententiam Lutheri (clàm enim hunc incessebat) figmentis & mendaciis obrueret, illaque mendacia sit exasperaret, ut horrorem legentibus incuteret: quod ideo à seductoribus fit, ut animum judicis avertant ab adversæ partis confessione vera. Deinde ut fictis atque ambidextrè sumptis vocabulis, & pietatis specie obtectis suam pingeret propriam sententiam.

Status controversiæ.

Nemo enim ignorare potest, hunc simplicem & unicum statum esse, an verè omnibus vescentibus & bibentibus in sacra cœna exhibeatur corpus & sanguis Christi? Hic adversarii tenent negativam, idque aliquando explicitè cùm sine obscuriori larva sub dium prodeunt, aliquando verò implicitè, cùm singula verba à proprio emota sensu tropologicè explicant: nos verò simpliciter, nudè, expressè, sine ambagibus tenemus affirmativam.

Quibus hanc adversarius oneret calumniis, ut in jis peculiarem suum fabricet statum, istis argumentis ex allegatis duobus locis ex institutione ipsius, sic demonstrari potest.

I. Ait, omitti à nostris, imo negligi & penè sepeliri doctrinam cœnæ, quomodo Christi corpus nostrum fiat: quomodo sanguinis ipsius participes fiamus: quomodo possideamus totum Christum, ut bonis eius omnibus fruamur. Calumniam hanc esse, manifestum est, cùm nihil aliud quàm hoc unicum quæramus, & Calvinianas ob hanc causam Harpyias à mensa Christi depellamus, qui tum manifestè tum occultè hunc unicum salutis nostræ thesaurum prædari & diripere conantur.

II. Impingit nobis, quòd una hæc spinosa quæstio nobis placeat, quomodo sub pane & sub specie panis lateat corpus Christi. Calumnia est, primò, quòd calvissimus & mendacissimus Calvinus non uno verbo, non uno jota, non uno apice, neq; in D. Luthero, neque eius discipulis id demonstrare potest; Deinde cùm Calvini imitatores eandem etiam calumniam aliquoties, sed cum moderatioribus verbis veluti ἀυτοκατάκριτοι in conscientiis, recoquerent, petitum est ab illis aliquoties (& novimus quid factum sit Mumpelgardi) ut demonstrarent hanc à nobis moveri quæstionem; atque totus novit Christianus orbis vix quicquam magis atque diligentius absersum esse à doctrina nostra, quàm illud de locatione corporis Christi sub pane. Non enim quæritur, quomodo adsit; sed sufficit quòd se Christus dicit adesse & exhiberi,

atque

atque hoc quomodo fiat, omnipotentiæ ipsius, in qua tutò acquiescimus, & non physicæ localitati, asscribimus.

III. Dicit modum à nobis statui carnalem. Calumnia est evidens & perspicua, cùm hyperphysicum & cœlestem modum omnes uno ore semper confessi simus.

IV. Vt calumniam de carnali modo probet vel potius ingeminet, addit ideo carnalem à nobis statui: Quia Christum pane includamus. Atque hoc potissimum Calvino probandum erat, ut priorem elueret calumniam. Nemo enim nostrûm inclusionem statuit, sed veram rei promissæ cum symbolis exhibitionem, quæ cùm captum nostrum superet, nec localiter inclusiva est, nec etiam carnalis.

V. Quod de inclusione dixerat, idem locationis vocabulo eodem calumniandi vocabulo exprimit.

VI. Contra fas, inquit, à nostris Christum è cœlo detrahi. Nulla detractio à nostris statuitur, qui confitentur Christum sedentem ad dextram patris omnipotentis, quæ à cœna abesse neutiquam potest, seipsum nobis in cœna exhibere.

VII. Impingit docere nos quòd Christus lateat sub integumentis panis. Locatio in pane, inclusio in pane, latitatio sub pane, & similes phrases sunt Calvini figmenta, quæ tanta varietate pingit, ut copia mentiendi in homine isto eo uberius appareat.

His itaque nefandis convitiis sententiam veram aggravat, & sepelit, ut in jis novum & monstrosum collocet statum, ex quo Ecclesiam Christi oppugnare possit.

Iam ex altera quoque parte videndum est, quid sectæ suæ adscribat, ut illa quoque in parte statum pervertat.

I. Sibi suisque adscribit, unicè se hoc quærere in cœna, quomodo Christi corpus nostrum fiat, quomodo sanguinis Christi participes fiamus, ut totum Christum crucifixum possideamus, ut bonis eius omnibus fruamur. Num hîc partes sectæ suæ rectè tueatur, num verò falsis pollicitationibus Ec-

cleſiam ludeficetur, poſtea audiemus, ubi eius ponemus metonymiam in verbis cœnæ, ubi etiam verba & non ſemel duntaxat ab ipſo prolata recenſebimus, Chriſtum à cœna eſſe abſentiſsimum, includi longiſsimè à nobis cœlo quodam, propter præſentiam ſpiritus ſui in cœna adeſſe non poſſe, imo cœnam ipſius non fore, ſi adeſſet. Hæc menti tuæ, Chriſtiane lector, ſubjicio, ut videas inanes pollicitationes de fruitione Chriſti in cœna & ventoſiſsimos, mendaciſsimosque cortices atque ampullas: ut ſatis manifeſtum ſit, primò impoſtorem iſtum, non ignoraſſe, quid potiſsimum in cœna quærendum ſit: Deinde theſauri huius ſpectra ſeu inania verba in doctrinæ ſuæ fundamentis, oculis & auribus Eccleſiæ obieciſſe; tertiò, homines ductos hac ſpe abſorbuiſſe illa omnium blaſphemiarum voragine, cum anhelos & cupidos animos, doctrinæ ſuæ fundamentis omni ex ſpoliavit, cùm ad furitionem Chriſti ventum erat, ſpe atque fiducia. Atque hic propriè eſt infernus & carnificina animarum, cùm amplificè & regiè omnia promittuntur & ſplendidis diſtenduntur promiſſorum ampullis: Poſtea verò cum eò venien dũ erat, ut illa apprehenderentur quæ dicebat præſto eſſe, nihil niſi piceum fumum ex ipſis exæſtuantem demonſtrat fundamentis: ut verè dixeris amplas illas Calvini promiſsiones nihil niſi vocem eſſe hyenæ, qua Chriſti & Eccleſiæ vocem imitaturus homines attrahit, & attractis demonſtrat in ipſo doctrinæ ſuæ fundo, non modò κύβαλα, ſed blaſphemias & picem deſperationis ardentiſsimam. Poſtea enim indicabitur, quibus ſannis verba inſtitutionis & veritatem Chriſti inſectetur, & quô miſeras & afflictas abigat animas, ut in cœna nihil niſi deſperationem & promiſſorum bonorum ludibria eis propinet. Hinc ea fuit ſæva & horribilis fallacia Calvini, ut multo oblineret & paſceret ora imperitæ plebis, de Chriſti fruitione in cœna, & nihil non amplificè de ea loqueretur, imo ſuam ibi, tanquam omnis ipſius doctrina eò ſpectaret, curam & ſollicitudinem jactavit: Interim verò hanc pro Chriſti præſentia in cœna infernalem excavavit ſcrobem de abſentiſsima

Infernus et carnificina Calviniſtarum.

tissima Christi præsentia & relegatione in locos remotissimos, ut ne cogitatione quidem, nedum reipsa miseri homines eum attingere possent, & ubique eo orbarentur, atque eo modo, ineffabili diaboli astutia hanc fabricavit fraudem, ut dum asserit fruitionem Christi, verbis in fundamentis ipsis omnem penitus auferret, atque clàm insusurraret pavidis & consternatis animis, nullum usquam esse Christum quippe cùm minimè omnium ibi sit, ubi tamen verbis multis amplificè ipsimet Calvinistæ asserant eum præsto esse, & quo loco aiunt omnibus cum bonis suis fruendum esse. Hæc diaboli novacula profundius subsecat omnia veritatis & omnipentiæ Christi fundamenta, omnemque cœnæ thesaurum, & ad diffidendum de Christo atque verbo ipsius maiorem aperit vastitatem, quàm si ex professo omnem abnegaret cœnam Domini.

II. Non vult spiritualem suam (id est, quamper ludibrium sub æquivoco excogitavit vocabulo) manducationem veræ & reali opponi: ubi hoc vult dicere, spiritualem concedo manducationem, manducationem inquam, id est, vocabulum manducationis, manducationis, inquam, retineo, spiritualem autem eam nuncupo, quam sic astruo, ut spirituale mihi nihil aliud sonet, quàm reipsa omnia illa negare & blasphemare, quæ verbotenus sub vocabulo manducationis, assero: nolo autem interim manducationem hanc VERAE ET REALI opponi, id est, tametsi in sese talis sit oppositio, nolo tamen hoc ebuccinari, quòd veram abnegem præsentiam, ne dolus pateseat, quod falsam, fictitiam, & per ludibrium concessam astruam; nolo itemque realem opponi, ne quis existimet inania mea esse verba & rerum in cœna promissarum vacua. Si enim oppositio liqueseeret manifestè, iam omnes viderent & palparent, quàm illa omnia sint ineffabili nequitia, à me excogitata, quæ de manducatione & de fruitione Christi, atque ipsius nobiscum unitione loquor. Quanta fallacia se hîc occultet, manifestum est.

III. Sic

III. Sic spiritualem suam manducationem inscribit, quia vis (inquit) arcana spiritus, nostræ cum Christo coniunctionis vinculum sit. Hîc γλαύκωμα tale offundit, ut homines existiment se & præsentiam & modum præsentiæ certum aliquem demonstrare: Verùm quod de spiriritu loquitur & arcana eius vi, quæ de coniunctione loquitur cum Christo, omnia sunt vana, si ea in suis, ubi scriptura de jis loquitur, non tradantur fundamentis. Quomodo Calvinus à genuina cœnæ, hoc est, à vero instituto Christi animos arceat, & institutum hoc reprobet atque damnet, postea indicabimus. Quod itaque de coniunctione, per vinculum spiritus dicit, idem ipsum est, quod suprà quoque audivimus, ubi splendidè multa promittit, verùm omnia hæc extra sua fundamenta. Tunc enim fit per spiritum coniunctio cum Christo, cùm illa retinentur salva & integra, quæ Christus instituit, quæ verbum docet, & ex quibus solis apprehensis, illa coniunctio necessariò sequitur. Quòd itaque extra veritatis cœlestis fundamenta, multa jactat de coniunctione, eiusmodi calvæ promissiones nihil nisi fumi sunt & ludibria diaboli, qui oculos à sede fiduciæ veræ detorquet, ad inanes promissiones, quæ tempore tentationum uno momento difflantur & pereunt. non enim consistunt in petra.

IV. Christum appellat materiam cœnæ, scilicet eo modo, quo isti, eum absentissimum à cœna statuunt; & materiam faciunt, in cuius veritatem & omnipotentiam, sub prætextu cœnæ omnes immanissimas ejaculantur insectationes & blasphemias.

Bullingerũ, quomodo carpat.

V. Quòd addit, non fructum vel effectum duntaxat participari, hîc videtur Bullingeri & quorundam sociorum ejus perstringere sententiam de cœna, ut sibi adsciscat opinionem, perinde abundantius aliquid, & uberius, quàm socii, statuat: Verùm hîc attendite, & introspicite doctrinæ suæ fundamenta, & liquidò patebit, quare etiam cum sociis hac in parte nolit consentire. Non enim concedere vult (atq; hæc

mens

mens ipsius est) nullam Christi participationem, sicut fundamenta doctrinæ ipsius omnia eò spectant: Quocirca etiam astutus illusor nihil aliud re ipsa vult, quàm fructum & effectum cœnæ Dominicæ nullum penitus esse, quippe cùm hic non sit, ut loquitur, materia cœnæ, Christum enim dicit materiam esse cœnæ, & hunc solum esse materiam cœnæ: notate hoc, de quo, de quo, inquã Christo, postea dicit, quòd nullo omnino modo corpore & sanguine suo in cœna adesse queat. Quocirca miro & stupendo artificio λεπτολογίαν sòcij sui planè alio argumento convellit quam foris appareat. Hoc enim omnino vult nihil penitus Christi quod sit, in cœna communicari, nihil accipi, vanam esse spem de fructu & effectu, cùm Christus ipse non communicetur, & frustra corpus & sanguinem ipsius quæri, in eo instituto, cùm longissimè absint: & cùm absint, ultrò sequi efficaciam quoque & fructum eorundem longissimè abesse: In isto fundamento & nullo alio Bullingeri subvertit sententiam homo ineffabili fallendi arte atque studio turgens: Quinimo dum inficiantur uno ore omnes, tum ipse tum qui eum sectantur, realem communicationem Idiomatum, qualem quæso, sed agè qualem quæso, constituerent efficaciam corporis & sanguinis Christi in cœna, quæ certè esse nulla potest, abnegata illa communicatione realis. Falsa itaque omnia hæc sunt, quæ infert ad incrustandam sectæ suæ sententiam, de participatione Christi, de spirituali manducatione, de Spiritus operatione, de materia cœnæ: Sunt enim hæc summa animi improbissimi nequitia inventa & excogitata, contra omnia doctrinæ suæ de absentia Christi in cœna principia, & eò inventa, ut promitteret quidem aliquid, reipsa autem tollat, & sic promittat, ut cùm animi famelici accipere ea cupiunt, magno miseriarum mugitu depellantur & desperatione suffocentur, discantque Christum odisse, qui promittat, ea, quæ nunquam præstare possit aut præstare velit.

DEMONSTRATIO SECUNDAE FALLACIAE.

AVdivimus quidem aliqua, quæ veritati, ut eam invisam reddat, impingit homo iste: verùm cumulatiùs istæc adhuc in medium proferenda sunt, verbis ipsius diligenter pensitatis. Sic enim inquit: *Fatentur* (Lutherani) *panem sub se habere inclusum corpus Christi. Si ita sensum suum explicarent: dum panis in mysterio porrigitur annexam esse exhibitionem corporis, quia inseparabilis est à signo suo veritas; non valdè pugnarem. Sed quia in pane corpus ipsum* LOCANTES, *ubiquitatem illi affingunt, naturæ suæ contrariam, addendo autem Sub pane* ILLIC OCCVLTVM LATERE VOLVNT: *tales astutias è suis latebris paulisper extrahere necesse est.*

Lib. 4. cap. 17.

Ibi: *Volunt ergò Christi corpus invisibile esse & immensum, ut* SUB PANE LATEAT, *quia se cum eo communicari aliter non putant,* QVAM SI IN PANEM DESCENDAT.

Mox: *Non aliam carnis & sanguinis participationem concipere sustinent, nisi quæ* VEL LOCI CONIVNCTIONE ATQVE CONTACTV VEL CRASSA ALIQVA INCLVSIONE CONSTAT.

Mox: *Non dubitant aliqui ex ijs jactare* NON ALIAS VNQVAM DIMENSIONES HABVISSE CHRISTI CARNEM, NISI QVAM LONGE LATEQVE COELVM ET TERRA PATEAT.

Ibi. §. 17.

Ibi: *Ex quo enim verbo sumserunt corpus Christi, in cœlo visibile esse,* LATERE AVTEM INVISIBILE IN TERRA SVB INNVMERIS PANIS FRVSTVLIS.

Ib. §. 25.

Mox: *Non fictitia illa corporis ipsius sub elemento* INCLVSIONE.

§. 26.

Itemque: *Si corpus Christus verè cibus non esset nisi sub pane* INCLVSVM.

§. 28.

Ibidem mox: *Satis ostendit se* CHRISTVM BICOR-

CORPOREM *non fingere, ut* OCCVLTVS *sub pane lateat qui in cœlo visibilis sedeat.*

Ibidemque: *sed pro confesso sumunt, quod nemo sanus illis dabit, non posse aliter Christi corpus in cœna dari, nisi opertum panis larva.*

Mox: *faceſſat igitur stultum illud commentum, quod tam mentes hominum quam Christum pani* AFFIGIT. §. 29.

Mox: *Quam qui ipsum Christum è* COELO DETRAHVNT. §. 32.

Alibi etiam: *Intolerabilis autem blasphemia est, sine figura* PRAEDICARI DE ELEMENTO CADVCO, ET CORRVPTIBILI, QVOD SIT CHRISTVS. Ibi. §. 20.

Huc jam quisquis vult, omnia omnium Calviniſtarum mendacia & astutias in pervertendo statu & calumnianda veritate congerat, nihil in omnibus inveniet, quòd hic sectæ suæ auctor prætermiserit, nihilque inveniet ab istis fusè & copiosè tractatum, cuius homo iste non fecerit principium. Hæc enim sunt notanda.

I. Quòd toties repetit doctrinam nostram esse, Christum pane esse inclusum: in pane locari: corpus eius occultum esse sub pane: sub pane latere: loci coniunctione & contactu vel crassa inclusione constare: corpus latere sub innumeris panis frustulis: includi sub elementis: occultari sub pane: operiri panis larvis. Hæc omnia Calvinus dixit: Hæc omnia Calvinus contra Ecclesiam dixit: Horum omnium Calvinus non apicem ex doctrina Ecclesiæ nostræ demonstrare potest. Nam etsi latendi vocabulum veteres alicubi usi sint, & commodè contra expilatores cœnæ explicari queat, non tamen illam latitationem, quam hic locationem & inclusionem appellat, unquam tradidêre: Hæc omnium Calviniſtarum dux atque auctor finxit, excogitavit, & in Ecclesiam ex putidis visceribus suis eructavit est: Hic suis successoribus & discipulis

Bezæ, Tostino, Pareo & ventosissimo diaboli utri Grynæo, materiam dedit & picem Gommorræ, ut ipsi quoque eodem Calvini spiritu affiati, turpia, fœda, stupenda & detestanda hæc mendacia in Ecclesiam exspuerent & amplificarent. Adeste vero vos mansueti, pacifici & mites Calvinistæ, præsertim adesto Grynæe, qui in Homologesi tua publicata apostasia tua duobus ab hinc annis Calvinismo te addixisti, adesto inquam, tu pacificum & misericors, imò festivum capitellum, semper precibus loquaculum, ubi ad scelera obiecta & ad blasphemias, deceptiones, periuria, falsa testimonia, corrupiones confessionum, respondendum erat, adesto, inquam, monstra, aliusve, dum tu preculas tuas, ideſt, ludibria adversus Deum & Ecclesiã jactas, nomine tuo respondeat, nomine tuo, quia Calvinissimum defendendum suscepisti, ubi hæc, quando hæc, à quo nostrum hæc scripta & tradita sint? nisi demonstrare queas: en hic Calvinus tuus, homo convictus falsi testimonii, homo mentiendo rabidus, vastator Ecclesiæ, præcursor Mahometis (alijs enim in scriptis vobis ostendi, quomodo principia Mahometismi gliscant jam & pullulent ex Calvinismo) homo prostitutæ frontis & audaciæ, ille ipse est, quem tu excusa conscientia & veritate, pro auctore doctrinæ & salutis tuæ amplexus es.

Grynæus.

II. Hoc quoque manifestum & palpabile mendacium est Calvini, quòd nostri exhibitionem annexis signis non tradant vel tradiderint. Nimis tenuiter dicimus, quicquid de mendacio objicimus: omnibus Calvinistis, hoc enim ipso mendacio, quod hìc fabricant, docent eò se libidinis esse progressos, ut quæ illi in omni doctrina sua in contumeliam Testamenti Iesu Christi scribunt & statuunt, quæ ipsimet tradunt & tradiderunt, ausint tamen ut primum deteguntur, Ecclesiæ nostræ ea inscribere.

III. Calvini est mendacium, astrui à nostris ubiquitatem, naturæ humanæ in Christo contrariam: atque men-

dacio

dacium tantisper manet, donec vel hoc probet, vel demonstret, quod salva utraque natura, attributa utriusque de se mutuo vere & realiter in eo, ubi λόγος est caro factus, prædicare non possint.

IV. Quis unquam ex nostris audivit Christum descendere in panem, aut è cœlo in mysterio cœnæ detrahendum esse?

V. Quis nostrum, quis nostrum, inquam, docuit, scripsit, credidit, Christi carnem aliam non habere dimensionem, quàm eam, quousque cœlum & terra longè lateque patent? extensionem & expansionem istam fictam in visceribus Calvinianis, impingunt & adscribunt Ecclesiæ, improbi isti homines: atque cùm jam in libris Calvinistarum invenies, in mentem redire debet, unde istæc fuxerint, & à quo spiritu acceperint.

VI. Quis nostrum bicorporem fecit Christum, ut alio sit visibilis, aliò sit invisibilis? ut aliò sit in cœlo, alio sit in terra? num hoc bicorporem est facere, si dicamus & credamus utrumq;, &, Christum in cœlis sedere ad dexteram Dei omnipotentis, &, in cœna juxta verbum suum & potentiam omnipotentiæ suæ se nobis verè communicare?

VII. Vbi nostrum sunt verba, syllabæ & apices, de elemento caduco & corruptibili prædicari, quòd sit Christus?

Hoc est pabulum, hæc sunt pascua, id est, fœda mendacia Calvini, quibus suum alit atque sustentat gregem, his omnes qui etiam antea viri religiosi & vitæ inculpatæ apparebant esse, implentur, quotquot spiritu ipsius afflantur. Quapropter hoc fallaciæ argumentum diligenter notari debet; nam ex isto equo Trojano sua educunt in omni Ecclesiæ certamine, huius sectatores purulenta mendacia, ut Calvinista propriè non sit, qui Calvinum hac arte mentiendi & calumniandi non spiret.

DEMONSTRATIO FALLACIAE TERTIAE.

SVperiora mendacia finxit homo iſte, ut doctrinam de præſentia Chriſti penitus inviſam redderet, & ex tota exploderet Eccleſia: quapropter horrificis eam inſectatus eſt convitiis, omnibus in hunc finem inventis, ut planè ἄτοπον cenſeatur, imò impium & ſceleratum, Chriſtum largiri poſſe ſeu velle, corpus & ſanguinem ſuum in cœna.

Sed num ſatis erat, ſeſe hac in parte Calvinum præſtare? Nequaquam: nimis enim hoc ſi nihil aliud artis addidiſſet, craſſum crudumque fuiſſet. Quapropter iſtæc, quæ negavit, erant nebulis iterum involuenda, ita ut licet veram præſentiam nullam admittat, tamen aliquid videretur admittere, videreturque præſentiam aliquam ſtatuere: hoc eſt, ut & ſuprà monuimus, hîc arte opus erat, ut primò omnia ſubſtantialia, cœleſtia quæ ſunt, non tantùm cœnâ exturbaret, ſed convitiis quoque ſic fœdaret, ut in odium apud imperitos adducere poſſet. Deinde, ut hoc pacto tum demum φάσματα præſentiæ cuiuſdam Eccleſiæ objiceret, eaque ratione efficeret, ut prius ſubſtantia omnibusque realibus ablatis inani pollicitatione & vacua umbra, Eccleſiæ ludificaretur. Diaboliſſimus hic diaboliſmus eſt ad faſcinandum ſimpliciores, qui præteritis aut neglectis illis, quæ anteà ex illo commemoravimus, & iſtis duntaxat appræhenſis, quæ jam ſubjungemus, exiſtimant perexiguum contentionis eſſe diſcrimen, quippe cùm Calvinus ipſe multa expreſsè & ſplendidè loquatur de præſentia Chriſti in cœna. Hîc verò dolus immenſus latet, & ſatis apparet tandem, operepretium eſſe fallacias has ſeriò & rite retegere. Videamus itaque quodnam illud mulſum ſit, quod homo iſte ſurrepto in cœna theſauro (ſicut evidentiùs poſtea demonſtrabitur) eccleſiæ propinat. Verè enim poteſt appellari

pellari mulsum pro delicatis & insuper ad salutis suæ cu-
ram supinis faucibus & auribus, quo toxicum & aconi-
tum suum homo iste illinit, & incautos interimit; videa-
mus verba eius.

Mulsum Calvinia-rum & toxicatum de præsentia Christi.

I. Sic inquit: *A symboli exhibitione rem ipsam exhiberi ritè colligimus. Nisi enim quis fallacem vocare Deum volet, inane ab ipso symbolum propon nunquam dicere audeat. Itaq; si per fractionem panis Dominus corporis sui participationem verè repræsentet, minimè dubium esse debet, quin verè præstet & exhibeat. Atq; omnino hæc pijs tenenda regula est, ut quoties symbola vident, à Domino instituta, illic rei signatæ veritatem adesse certò cogitent & sibi persuadeant.* Lib. 4. cap. 17. §. 10.

Ibidem in præcedentibus: *Et quidem non obiecto inani aut vacuo signo, sed efficaciam spiritus sui illic proferens, qua impleat, quod promisit; Et sanè rem illic signatam offert & exhibet omnibus, qui ad spirituale epulum accumbunt, quanquam á fidelibus solùm cum fructu percipitur.*

Ibidem: *Accepto corporis symbolo, corpus etiam ipsum nobis dari certò confidamus.*

Mox: *Cœlestis veritas, quæ per symbola ipsa figuratur simul & exhibetur.* §. 11.

Mox: *Significatio in promissionibus est fixa, quæ quodammodo sunt signis implicita.*

Atque suprà dixerat: *Porrò hic nobis duo cavenda sunt vitia: ne aut in extenuandis signis nimijà suo mysterijs illa divellere, quibus quodammodo annexa sunt, &c.* Ibi. §. 5.

Multa hic concurrunt, quæ suspendere debent Ecclesiæ oculos, atque aures, perinde ea sana essent, & ex animo syncero atque veritatis studioso, dicta, quæ de præsentia Christi in cœna loquitur: & sunt sanè eiusmodi pronunciata, quæ nos etiam, nisi mera essent ludibria hominis istius, & nisi ipsemet eadem everteret & damnaret, suo relicturi eramus loco: Quàm enim omnia adeò affabrè & scitè sint composita, ut cum Ecclesiæ

ipsiusq;

ipsiusque D. Lutheri confessione, consona videantur, hinc collige: Dicit, symboli exhitione rem ipsam exhiberi: Deum fallacem fore, si aliter fieret: non proponi inane symbolum: quoties symbola videntur, illic rei signatæ veritatem adesse certò cogitandum & sibi persuadendum esse: non inane & vacuum esse signum: omnibus offerri & exhiberi rem signatam: certò confidendum, accepto symbolo corpus ipsius dari nobis: veritatem quæ per symbola figuretur simul exhiberi: promissiones quodammodo signis esse implicitas: mysteria connexa esse signis.

Hæc omnia sic sunt instructa, & tanta fraudum infinitaq; libidine excogitata, ut alia via præcipitiori, Ecclesia miserius & astutius à versutissimo isto homine decipi non potuerit. Omnia enim sic sonant, quasi non modò præsentiam astruat, veram & realem, sed etiam perinde totum Zvvinglianismum qui consistit in doctrina de signis in cœna vacuis, invadere & evertere vellet. Ne verò impostor iste te seducat Christiane Lector, repete sannas, ludibria & convitia quibus exagitat veram præsentiam, quæ paulò antè tibi recitata sunt atque infrà audies plura verba & argumenta, quibus vacuitatem cœnæ inferre conatur. Hic verò paucula etiam subijciam, in quibus intelliges, nullatenus eum admittere, ut res ipsa coniuncta sit cum signis; id est audies, eiusmodi, quæ in auribus tuis ita sonare debent, ac si audires Calvinum dicentem: ego Calvinus confiteor, quod me Calvino mentiendo fallendoque protervior homo non sit, & miror tanto torpore orbem esse defossum, ut non videat & sentiat ista: quæ enim antea dixi, de præsentia Christi, auditis Christiani, meta sunt mendacia & sputa meta in vestram religionem & Sacramenta Salvatoris vestri Iesu Christi: Atque ne dubitetis de me Calvino, audite etiam hæc verba mea.

Ibi. §. 20. Absentia Christi in cœna. Sic inquit: *Multum differunt panem esse corpus & corpus esse cum pane.*

Ibi-

Ibidemque: *Agè si corpus & sanguinem Domini pani ac vino affingere licet: alterum ab altero necessario divelletur. Nam ut panis seorsim &c.* Docere ibi vult prolixè, fieri omnino non posse, ut cum pane corpus, cum vino sanguis Christi exhibeatur. §. 12.

Alibi: *Nam ut Christum illic rectè apprehendat, piæ animæ in cœlum erigantur necesse est. Quod si hoc Sacramenti officium est mentem hominis infirmam alioqui adiuvari, ut ad percipiendam spiritualium mysteriorum altitudinem sursum assurgat: qui in signo externo detinentur, à recta quærendi Christi via aberrant.* Ibi. §. 36.

Quod SVRSVM appellat, SVRSVM inquam, hoc est longissimè & remotissimè, & ut ita dicam absentissimè à symbolis, postea explicabimus: Sufficit autem, ut videas, quam connexionem, quam exhibitionem, quam veritatem cum symbolis statuat. Deinde etiam hoc animadvertis, Christum non esse quærendum in signo externo quod quamvis aliis verbis proponat, quàm fieri oportebat; attamen satis constat velle eum, Christum in Sacramento suo non quærendum esse. Quæris cur? Respondetur: quia negat ibi præsentem esse, quòd si enim præsentem crederet, ibi quoque quærendum esse censeret. Tertiò, intelligis corpus non dari cum pane. Quartò, etiam hoc intelligis, ineptissimam imo perversissimam fore cœnam, si Christus distinctim cum symbolis corpus & sanguinem suum exhiberet. Iam itaque hæc concilia si potes, cum istis, quæ paulò antè dixerat de præsentia Christi unà cum symbolis. Infrà dilucidius adhuc aperiemus fallaciam. *Sursum.*

II. Hoc quoque addamus, cùm profliget Christum ex omni cœna, ut videamus interim, quàm operosè & quàm splendidè de usu præsentiæ ipsius in cœna, dogma suum spargat, ut adhuc suspensa teneat ora simpliciorum. *Spiritualis & præsentia.*

Sic inquit: *Atq; Spiritui sancto non levis fit iniuria, nisi credimus fieri incomprehensibili eius virtute, ut cum pane & sanguine Christo communicemus.* Ibi. §. 33.

§. 9. Alibi: *Corpora nostra membra esse Christi. Quæ omnia non posse aliter effici intelligimus quin totus, spiritu & corpore nobis adhæreat.*

Mox ibi: *Extremæ ergo dementiæ fuerit, nullum agnoscere cum carne & sanguine Christi fidelium communionem.*

Et suprà: *Cordis sinum tandem protendant quo præsentem amplexentur, & eum obtineant.*

Similiter: *Itaq; sub pane & vino repræsentantur: Quo discamus*
§. 3. *non modo nostra esse, sed nobis destinata in spiritualis vitæ alimentum.*

§. 5. Ibidemque: *Tum illustrius per sacram cœnam tibi & seipse cum bonis suis omnibus nobis offert.*

Mox: *Pollicetur enim nobis, quicquid fecit, aut passus est Christus, id ad nos vivificandos factum esse.*

Mox; *Vera sui participatione nos vivificari.*

Idemque: *Quanta hoc beneficij per spiritum suum nobis Dom.*
§. 12. *minus largitur, ut unum corpore spiritu & anima secum fiamus.*

§. 38. Alibi: *Nam sic suum illic corpus nobis Dominus communicat, ut unum prorsus nobiscum fiat, nosq; cum illo.*

Hæc omnia splendidè & eleganter de usu præsentiæ Christi, homo iste personare ijsque miseræ Ecclesiæ postquam Christum negavit in cœna præsentem esse, illudere potest. Atque sunt acerbismi Sarcasmi & flagellationes imo exprobationes Satanæ, ex quibus discere debent Christiani, quid illud sit, quod amiserunt & perdiderunt, cùm Christum à Calvinistis cœna ejici patiuntur. Hæc enim de quibus jam loquitur in cœna præsto esse debebant, verùm unâ omnia corruunt sublata vera præsentia Christi; & si fraudem ipsius rectè intelligamus, non loquitur quid in cœna nobis relinquat sed dinumerat spolia sua, quibus cœnam diripuit.

III. Plura adhuc addemus, ut Angelus iste Satanæ rectè agnoscatur. Vidit versutus ille spiritus in primo illo, quod inter doctorem Lutherum & Zvvinglium intercesZuinglium quomodo oppugnet. sit, certamine, Zvvinglium apud studiosos verbi & veritatis malè audire, quòd nullam præsentiam statuat, nisi imaginariam, hoc est, talem, non qua se res nobis sed qua vos-

met

met rebus imaginatione duntaxat conceptis applicamus, atque inde omne institutum Christi falsitatis insimulari & redargui. Quid itaque diabolus per hominem istum, Calvinum, inquam, excogitavit? Videamus verba hominis, & fundamenta consideremus, quibus doctrinam suam suo perstruxit, atque fallaciarum hoc etiam loco tanta erumpet eluvies, ut spiritum hunc facilè quivis deprehendere queat. Omnem ipsius doctrinam, Zvvinglii esse profanam illam commessationem, & in fundamentis non pilo discedere à Zvvinglio, infrà audiemus: hîc verò observa, quomodo ad dementandam Ecclesiam se larvatum Zvvinglij faciat hostem.

Sic inquit: *Nullum tamen locum relinquo huic cavillo, quasi dum fide percipi Christum dico, intelligentia duntaxat & imaginatione velim concipi. Offerunt enim illum promissiones non ut in aspectu modo nudaq; notitia hæreamus: Sed ut vera eius communicatione fruamur.* §.10. NB.

Sic suprà dixerat: *Sunt enim qui manducare Christi carnem & sanguinem eius bibere uno verbo definunt, nihil esse aliud quàm in ipsum Christum credere, sed mihi &c.* ubi negavit hanc sententiam, confestim subijcit hæc verba: *Illis manducatio est fides, mihi ex fide potius consequi videtur.* Ibi. §. 5.

Item: *Simul tamen addo nos amplecti Christum non eminus apparentem, sed se nobis unientem.* §.6. NB.

Ibidem: *Atq; idipsum est, quod alibi scribit Chrysostomus, non fide tantum, sed re ipsa nos suum efficere corpus.*

Quis hîc non censeret oppugnari Zvvinglj φαινόμενα, quæ statuerat in cæna, & quis non censeret, ipsam quoq;, quam novo finxit vocabulo Beza absentiam corporis Christi, σχέσιν, hic oppugnari? Negat enim intelligentiâ duntaxat & imaginatione Christum concipi: negat offerri Christum aspectu modò nudaque notitia: negat manducationem nihil esse quàm fidem; negat Christum exhiberi eminus apparentem: negat fide tantùm Christū nos suum efficere corpus. Atq; affirmat veram esse cōmunicationem: affirmat Christū uniri nobis; affirmat reipsa eum efficere

nos corpus suum. Quàm splendida hæc? quàm orthodoxa? quam inimica omnia tum Zvvinglij imaginariæ cœnæ, tum quod idem est, Bezanæ σχίσμα? Atque hoc est homines deludere, sese nimirum contra hostes per simulationem in medium proferre, cùm tamen in sequentibus abundè audiemus, quòd hæc omnia eo modo eodemque fine approbet & asserat, quo idem ante ipsum fecerant Carolstadius & Zvvinglius, in quorum doctrinæ assertione, hæc quæ jam citavimus tanquam vana & mendacissima fidei suæ pronunciata destruit & evertit. Atque ut satis Ecclesiæ illudat, haberi etiam vult quasi Zvvinglium cœteroscque socios omnes armis & præsidio exuat, cùm alibi etiam testetur capite Iohannis 6. nihil agi de Sacramentali usu. Verùm caput istud Iohannis aheneus erat & Oecolampadij & Zvvinglij murus. Quis itaque hanc propè incomprehensibilem fallendi libidinem satis animo complecti & penitus intueri potest? aut num putamus aliquid doli & versutiæ in abysso sua Diabolum reliquisse, quod in hominem istum non effuderit?

Ibi, §. 33.

IV. Et ne hoc quoque prætermittamus ad aperiendas fraudes hominis istius: quàm miserè multos fascinavit confessione substantialis participationis Christi in cœna?

§. 11. Substantialis præsentia.

Sic enim inquit: *Dico igitur in cœnæ mysterio per symbola panis & vini Christum verè nobis exhiberi, adeoq; corpus & sanguinem eius, in quibus omnem obedientiam pro comparanda nobis iustitia adimplevit: quod scilicet primum in unum corpus cum ipso coalescamus: deinde* PARTICIPES SVBSTANTIAE EIVS *facti in bonorum omnium communicatione virtutem quoq; sentiamus.*

§. 3.

Et suprà: *Quod accipere iubet, significat nostrum esse: Quod edere iubet, significat* VNAM NOBISCVM SVBSTANTIAM *fieri.*

§. 21.

Alibi: NON FIGVRATANTVM, *seu nuda & inanis tessera, sed verè etiam exhibet.*

Mox: *Quorum & certam minimeq; fallacem significationem semper gerunt, &* ADIVNCTAM *habent secum veritatem.*

Paulò

Paulo antè dixerat: *VERAM SVBSTANTIALEMQVE corporis & sanguinis Christi esse communicationem, atq; ita, ut non imaginatione duntaxat aut mentis intelligentia percipiantur, sed ut reipsa intelligantur, frui nos ijs debere in alimentum vitæ æternæ.* §. 19.

Atque sic suprà quoque audivimus, non fructu tantùm & effectu corporis & sanguinis Christi nos pasci, sed Christum ipsum cœnæ esse materiam.

Hæc si constanter, si verè, si ex animo, si absque fuco docuisset, erant utique illa, quæ orthodoxam D. Lutheri sententiam redolere poterant: verùm prius quàm summam stropharum ipsius proponamus, delibanda hæc lectori objicimus, quæ alibi ita scribit.

Veluti: *Vbi clarum est, carnis essentiam distingui à spiritus virtute, quæ nos Christo coniungit LOCORVM alioqui DISTANTIA procul dissitos.* §. 28.

Non plura jam recensebo, satis autē ex allegatis apparet, quibus strophis spiritus hic mēdax usus sit, cùm asseruit re ipsa nos non Christi tantum, sed etiam substantiæ Christi in cœna participes fieri, cùm perspicuè jam cōfiteatur, nihil se de carnis essentia, hoc est, nihil propriè de substantia Christi, aut propriè de carne ipsius locutum esse: sed fallaci hæresis suæ phrasi de spiritus cuiusdam virtute illa enunciasse, qua nos tradit uniendos esse corpori illi, licet ab illo dissitos, & procul dissitos, & locorum distantia dissitos: Quam distantiam discipuli ipsius sic explicuerunt, quantum summum cœlum distat ab infima terra. Intelligis verò jam, quid huic Calviniſtarum Magistro sit vera & realis præsentia Christi, & vera substantiæ ipsius participatio? Intelligis etiam hoc, quam alienus vir iste sit ab imaginario Zvvinglii epulo?

V. Vt etiam hoc addamus, quod de carne Christi splendidè docet, eadem inescandi homines, fraude.

§. 32. Sic inquit: *Ea inquam est corporis præsentia, quam Sacramenti ratio postulat: quam tanta virtute, tantaq; efficacia hîc eminere dicimus, ut non modo indubitatam vitæ æternæ fiduciam animis nostris offerat, sed de carnis etiam nostræ immortalitate securos reddat. Siquidem ab immortali eius carne iam vivificatur, & quodammodo eius immortalitati communicat.*

§. 9. Atque suprâ: *Proinde in sua quoq; humanitate vitæ plenitudinem habitare ostendit.*

Mox ibi: *Ita Christi caro instar fontis est divitis & inexhausti, quæ vitam à divinitate in seipsam scaturientem ad nos transfundit.*

Nosti iam tandem, quæ hæc fraus sit? paulò post aliqua indicabimus, & suprà jam etiam quædam indicata sunt, ex quibus demonstratur hominem istum, carnem & sanguinem Christi ex universa profligare cœna, & rejicere in loca & spacia procul à nobis disita. Hoc cùm sit blasphemiarum ipsius fundamentum, multa de carnis utilitate & eadem etiam contra sociorum suorum placita proferre potest, adeò, ut videatur de reali communicatione Idiomatum aliquid sani sapere: verùm hic lusus est & hæc technæ, atque hoc hominis artificium, ut quælibet etiam augustissima de corpore & carne Christi ore largo & prodigo facilè contedere & approbare possit, modò obtineat hoc, nullum esse modum, nullumque institutum in cœna, quo corporis & sanguinis Christi possimus participes fieri: Ideoque splendidis istis pronunciatis nihil aliud agit, quàm ut animos inanitate doctrinæ suæ suspendat.

Sufficiunt hæc ad demonstrandam hominis versutiam in splendido verborum apparatu de cœnæ Dominicæ usu atque fructu: Et de præsentia Christi, quam ineffabili eludit fraude. Pergamus iam ad reliquas demonstrationes.

DE

DEMONSTRATIO QVARTAE FALLLACIAE.

Hic jam procedamus ad demonstrandum quæ nam sint fundamenta hominis istius in omni negotio cœnæ Dominicæ, ut hîc potissimum appareat, quanta hæc omnia dicat fraude, quæ speciem aliquam veritatis habent, & quibus hactenus miserandum in modum, Ecclesiam deceperat. Atque huc pertinet, quod ad evellendum thesaurum cœnæ, figuram Zvvinglii, quam metonymiam appellant, manifestè approbat. *Metonymia in cœna.*

§. 21. Sic enim inquit: *Restat igitur, ut propter affinitatem, quam habent cum his symbolis, res signatæ nomen ipsum rei sateamur attributum fuisse symbolo: figuratè id quidem.*

Mox: *Dico metonymicum esse hunc sermonem.*

Ibidemque aliquot Zvvinglii profert & enumerat locos, quibus ille metonymicum sensum exprimebat ad evacuandam cœnam Domini, ut nihil certius atque evidentius sit, quàm eandem in utroque fuisse sententiam & fidem de cœna Domini. Modum autem duntaxat dissimilem fuisse: Zvvinglium quippe crasso & nudo genere dicendi nimisque aperto. ut dissonantia eius cum Ecclesia & testamento Christi apparere posset, usum fuisse: hunc verò multa cum Ecclesia & cum Testamento Christi, cum ipso quoq; D. Luthero elocutum esse, & multa per speciem concessisse, quæ aliâs palàm respuebat, nullo tamen alio fine, quàm ut fucato dicendi genere Zvvinglianismum occultaret, & summopere caveret, ne Lutheranos à se repelleret, sed attraheret potius etiam specie aliqua consensioni à se διὰ διαφωνῶν dissidentes. Quapropter profanam Zvvinglij sententiam mirabili diaboli astu vermiculata sua induit & opperuit veste. Atque hoc est non Calvinismum duntaxat, sed ipsum etiam diabolismum profiteri.

DEMONSTRATIO QVIN-TAE FALLACIAE.

Videamus quos ludos faciat de cœnæ ἐντῷ, quod Lutherani strictè servandum esse in honorem veritatis & omnipotentiæ Christi censent: ut ergo hîc quoque fucatus iste Spiritus abblandiatur Ecclesiæ veræ, ipse quoque ἐντὸν hoc amplificè commendat. Ne verò tanto ἐντῷ præconio & commendatione Zvvinglianismus aliquod accipiat damnum, & ne alicubi alius quàm fallacissimus & mendacissimus appareat homo iste, idem ipsum quod tantopere commendarat, funditus iterum negat & evertit.

Ἐντὸν scripturæ.

Sic enim ἐντὸν commendat: *Expendant quàm NON TVTVM sit in rebus tam arduis à SIMPLICI DEI VERBO ad cerebri nostri somnia EVAGARI.* §. 36.

Itemque: *In sacra sua cœna iubet me SVB SIMBOLIS panis & vini corpus & sanguinem suum sumere, manducare & bibere: nihil dubito, quin & ipse verè porrigat & ego recipiam.*

Hæc ita sonant, ac si de verbo ad verbum ex scriptis D. Lutheri desumsisset, eiusdemque sequeretur sententiam, atq; perinde omnino ipse quoq; vellet simpliciter ἐντῷ sacrosancti instituti inhærendum esse: verùm ut videas fraudem hominis, in memoriam revoca, quæ de figura in verbis & quæ de ipsa metonymia supra dixit: Deinde observabis quàm scopticè D. Lutherum omnesque qui cum illo sentiunt, irrideat, ubi hæc verba ponit: *Vetant boni isti magistri, ut literati appareant, vel tantillum à litera discedere.* §. 23.

Mox ibi: *Præterea, si in verbis præcisè insistitur, perperam aliud seorsim de pane prædicaret Christus, quam de calice. Panem vocat corpus, vinum vocat sanguinem: aut confusa erit batologia aut erit PARTITIO, quæ corpus à sanguine dividat. Imo tam verè dicetur de calice, hoc est corpus meum, quàm de pane ipso; & prædicari vicissim poterit, panem esse sanguinem.* NB. NB.

Item

Itemque: *Excipiunt se verbum habere, quo palàm facta est* §. 25.
Dei voluntas; nempè si illis concedatur, donum interpretationis ex Ecclesia profligare, quod lucem verbo adferat: fateor illos habere verbum,
SED QVALE OLIM ANTROPOMORPHITAE.

Quomodo τῷ ἐντῷ certitudinem & fundamentum explodat, scilicet, ut Zvvinglij metonymiam tueatur, ex istis facile colligere possumus. Primò, cùm per ludibrium LITERATOS appellat, qui à LITERA discedere nolunt. 2. non vult precisè literæ insisti. 3. appellat batologiam illam in litera perseverantiam. 4. Christo per ἄτοπον batologiam in instituto suo per summum flagitium, contumeliam & blasphemiam inurere audet, Homo in coacervandis in Christum convitiis, verè batologus, impius & profanus. 5. Non vult verbo insisti, nisi per interpretationem, id est, per metonymiam, ut sensus à verbo & instituto avellatur & aliò transferatur. 6. Verbum seu ἐντὸν hoc Christi dicit ab anthropomorphitis coli & observari. Iam itaque istæc oppone superioribus, cùm simularat, se quoque simplicitatem verbi in cœna quærere & simplici fide atque assensu instituto Christi credere: Quo honore Christum instituentem quem batologiæ, & insciliæ accusat, & quo honore hos qui Christo simpliciter credere volunt, afficiat, luculenter jam demonstratum est. Huc animos & oculos conjicite vos Christiani, ut rectè calvum istum, inconstantem & mendacem virum agnoscatis.

DEMONSTRATIO FALLACIAE SEXTAE.

EX præmissis satis unicuique jam constare poterat, qualem faciat præsentiam Christi in cœna: verùm ne consequentiis duntaxat hominem istum aperiamus, sed ipsius quoque hac in parte verba & pronunciata habeamus, ex quibus intelligere possimus, quanta fallacia utatur in

Quibus verbis absentiam Christi astruat.

E

tur in astruenda præsentia Christi alia subjiciemus. Postquam enim omnia illa, quæ Christi realem præsentiam astruunt, reiecisset, & multis etiam convitiis eandem conspurcasset, postea subjicit:

§. 19. *Cæterum his absurditatibus sublatis quicquid ad exprimendam veram substantiamque corporis & sanguinis Domini communicationem, quæ sub cœnæ symbolis fidelibus exhibetur facere potest, libenter recipio: atque ita ut non omnia imaginatione duntaxat aut mentis intelligentia percipere, sed ut re ipsa frui in alimentum vitæ æternæ intelligantur.*

Atque ut intelligas quæ sint illæ absurditates, quas rejicit, verba ipsius ponemus: *Nos vero talem Christi præ-*

Ibid. *sentiam in cœna statuere oportet, quæ nec panis elemento ipsum affigat, nec in panem includat, nec ullo modo circumscribat (quæ omnia derogare cœlesti eius gloriæ pelam est) deinde quæ nec mensuram illi suam auferat, vel pluribus simul locis distrahat, vel immensam illi magnitudinem affingat, quæ per cœlum & terram diffundatur: Hæc enim naturæ humanæ veritati, non obscurè repugnant. Istas inquam duas exceptiones nunquam patiamur nobis eripi, ne quid cœlesti Christi gloriæ derogetur: Quod fit dum sub corruptibilia huius mundi elementa reducitur, vel alligatur ullis terrenis creaturis. Ne quia eius corpori affingatur humanæ naturæ minus consentaneum: Quod fit dum vel infinitum esse dicitur, vel in pluribus simul locis ponitur.*

Quòd realem Christi præsentiam abneget, nosti Christiane Lector, quæ de metonymia & de τῶν ἐναντίων reiectione dicta sunt, atque infrà audies, quomodo Christum longissimè ab omni commercio Ecclesiæ releget in extimum & remotissimum locum: imo neque hic obscurum quicquam est, cùm negat Christum multis in locis simul esse posse. Hæc enim demonstrant veram realemque præsentiam penitus ab illo tolli & damnari. Duas autem hoc in loco insigniores fraudes artificiosissimè architectatus est: Prior hæc est, ut si ei concedere velimus Christum nequaquam in cœna esse, atq; si concedere velimus corpus & sanguinem ipsius ab omni communicatione reali longissimo

gissimo mundi intervallo à nobis subducta & ablata esse, adeò, ut illa nobis à Christo præstari non possint, & simul concedere velimus, verbis institutionis non esse credendum, sed per metonymiam vacua rebus constituenda esse symbola, tunc vult homo veterator iste libenter, placidè, ultrò, benignè, liberaliter, affatim, concedere præsentiæ modum. Quid multis? vult OMNIA CONCEDERE, quæ dici possunt ad exprimendam veram, substantialemque communicationem, hoc est, sicut ille per metonymiam res è Sacramento hoc suffuratur Ecclesiæ, atque verba inania nobis relinquit, ita vult opinionem imaginationemque de substantiali communicatione omnibus qualemcunque volunt, & ab ipso expetunt, permittere, interim verò, ut hac lege & hoc modo fiat, sicut cautionem illius intelligimus: & ita, ne aliter accipi velimus, quàm ut verborum habeamus, quascunque velimus splendidissimas pollicitationes, sub pollicitationibus autem ut res ipsa, quæ substantialem facit communicationem veramque, penitus abnegetur & abiuretur: Neq; multum ab agyrtis recedit, qui fraudulentissimis verbis pecuniam crumenis, excantant, emungunt & crumenas postea laudant: Sic enim hic spirituali illa exspoliatione facit, ut primò omnem thesaurum ex cœna Domini prædetur & auferat: Deinde ubi hoc successit, vacuam illam cœnam multis & diffusis laudat præconiis, & de præsentia loquitur Christi, valdè pretiosè, ut materiam habeat sese sannis & ludibriis adversus Christum, cuius deprædatus est testamentum exaciandi & explendi, atque ut eadem opera ecclesiam hac impostura circumventam horrificè divexare & deludere queat.

Altera est fraus, quòd realem præsentiam quam simpliciter veritati & omnipotentiæ Christi asscribimus, odiosam & invisam reddit, istis à se exquisitissima improbitate confictis calumniis, cùm nostram dicit esse doctrinã panis elemento Christũ affigere, in panem includere, circumscri-

 scribere,

bere, mensurã illi auferre, pluribus locis distrahere, immensam illi magnitudinem affingere, quæ per cœlũ & terram diffundatur, reducere sub corruptibilia huius mundi elementa, alligare denique terrenis creaturis. Hæc sunt, quæ improbus iste homo coacervat, ut veram realemq; præsentiam suspicione harum (ut appellat) absurditatũ obruat. Quæ omnia non tam in defensores veritatis falsò, impiè & sceleratè excogitantur & stringuntur, quàm in Christum ipsum, quem accusarat batologiæ & distortæ cœnæ, cuiusque ἐγκὸν suspenso illuserat naso. Iam itaque omnes etiam hos illudit & sycophanticè incessit, qui audent adeoque volunt simplici integritate & fide Christi adhærere instituto, eique ut veraci & omnipotenti omnem modum rationemque transcribere, sese nobis juxta verbum suum in cœna offerendi & exhibendi. Quòd autem infanda hæc pronunciata ex putidis Calvini visceribus enata sint, suprà quoque audivimus: atque hic meritò repetimus, & vos Calvinistæ quotquot estis, quicunque estis, ubicunque terrarum estis, huc prodite, syllabas, libros & auctores demonstrate, qui in Ecclesia nostra istæc docuerint, tradiderint, aut quibus unquã istæc in mentem venerint. Scelera sunt, mendacia sunt, vestræ hæresis excrementa sunt, quibus statum pervertitis, quibus sycophanticè Ecclesiæ Christi famam atque laudem conspurcatis, quibus vestrum in Christum et Ecclesiam ipsius in exhaustum demonstratis odium.

DEMONSTRATIO FALLACIAE SEPTIMAE.

Spiritualis pacti.

Hic quoque scire debemus artificium sectæ huius sic esse compositum, ut cùm veram præsentiam diripuerint, multa postea & valdè sublimia jactent de spirituali præsentia, spiritualique animæ pastu, atque hîc iterum thesauro ablato copiosi & munifici fiunt omni splendidissimarum promissionum apparatũ.

Ibi. §. 26. Sic enim Calvinus: *Tribus modis enim nobis præsentem facit*

cit Augustinus: *maiestate, providentia, ineffabili gratia, sub qua mirificam istam corporis & sanguinis sui communionem comprehendo.*

Alibi: *Quin denique suo ipsius corpore eos pascat, cuius communionem Spiritus sui virtute in eos transfundit.* Ibi. §. 18.

Alibi: *Animas nostras carne & sanguine Christi pasci.*

Mox ibi: *Nisi alimentum suum animæ in Christo reperirent.*

Item alibi: *Christum perinde animas nostras è cœlo pascere carne sua, atque corpora pane & uino aluntur.* Ibi. §. 24.

Mox ibi: *Dicimus Christum tam externo symbolo quàm Spiritu suo ad nos descendere, ut verè substantia carnis suæ & sanguinis sui animas nostras vivificet.*

Ibi: *Vt alimentum percipiant animæ ex carne Christi.*

Hîc ejusmodi fallaciæ concurrunt; primò loquitur de præsentia: Deinde de spirituali præsentia, 3. Appellat pastum & alimentum. Istæc videntur valde congrua & consona verba: verùm observa jam quartò qualem constituat spiritualem præsentiam, nimirum qua spiritu cogitare debemus Christum longissimè abesse, ideoque animas dicit vivificari & pasci. Quid verò hoc, quod addit etiam, verè substantia carnis suæ & sanguinis sui animas nostras pasci? Quænam etenim illa substantia, quæ ut pòst audiemus infinitis parasangis à corporibus & animabus nostris abest? Primò itaque corporibus nostris mortalibus adimit sacrilegus ille impostor spem immortalitatis in Christo, quam veteres solidè & pulcherrimè astruebant ex participatione corporis & sanguinis Christi in cœna. Deinde mentitur in principia sua, in propria nimirum viscera sua: huius enim substantia neque corpori neque animæ dari potest, quæ semper id esse debet, ut reiecta & circumscripta sit loco ab Ecclesia militante remotissimo. Neque verò imprudens fallit, cùm dicit, Substantia carnis & sanguinis animas pasci. Quòd auripigmento utatur, facilis est judicatio: nam si vere hoc crederet, sciretque tale opus à Deo in nobis perfici posse, idem quoque perfacilè cre-

dere posset, corpus nostrum cui Christus ipse præcepit ut accipiat, edat & bibat corpus & sanguinem ipsius, verè substantia sua pasci atque eo modo vivificari posse. Nunc verò cum id auferat quod institutum est, & aliud substituat, facit ut agyrtæ & impostores solent, idque tanta & adeò stupenda calliditate, ut nullum sit inventurus mercenariorum suorum, qui eum fallendi arte superare queat.

Ibi. §. 7. Perpende quid hæc verba sint: *Quanquam autem cogitando animus plus valet, quàm lingua exprimendo: rei tamen magnitudine ille quoq; vincitur & obruitur.*

Ibi. §. 32. Alibi: *Porro de modo si quis me interroget, fateri non pudebit, sublimius esse arcanum, quàm vel ut meo ingenio comprehendi, vel enarrari verbis queat: atq; ut apertius dicam, experior magis quam intelligam: Itaq; veritatem DEI in qua acquiescere tutò licet, hic sine controversia amplector.*

Vides? quàm affluant homini isti verba ut raptum animi in admiratione exspoliati Sacramenti sui, nobis declaret; atque an non videtur iterum τὸ τέλος testamenti approbare? Audis? quid de lingua, de animo suo, de sublimitate rei, de experientia, de intelligentia sua & de veritate DEI loquatur? An non hæc omnia aurea? Annon stuporem suum in tanto opere & instituto DEI fatetur? Annon rationem suam subijcit captivam verbo? Sic quidem verba sonant: Verum propius accedamus, & hominem coràm intueamur: Quid itaque, quid est, quod hominem istum in epilepticam istam conijciat admirationem, atque sic attonitum reddat? Quid inquam, illud? Agè, quid illud? agè mi Christiane homo, quisquis es, accede & vide veteratorem istum, cùm hæc tanto enunciasset stupore perinde tantam exhibeat reverentiam sacrosancto instituto & verbis Christi, immediatè verbis ante à recitatis subijcit istæc verba, quæ rationem profundæ illius admirationis in lucem proferunt. Sic enim inquit:

Pro-

Pronunciat ille carnem suam esse animæ meæ cibum, sanguinem esse potum.

Hui, sic nè parturiunt montes? & hoccine illud cuius intuitu Calvinus hic noster obrigescere volut? Iam vide tu mi homo: primò quomodo seipsum simulatione sui cum Ecclesia consensus, multis & grandiloquis sese incrustarit verbis, quibus perfacilè potuit multos, astutia calvinianæ imperitos, circumvenire: Deinde, vide quid sit quod tantopere in cœna commendat: postquam enim Christi corpus & sanguinem inde rejecit, sicut audivimus, & deinceps plura audivimus: Iam dicit à Christo pronunciari Carnem ipsius, animæ suæ cibum esse & sanguinem esse potum. Verùm Christus hæc non ita dixit, nec etiam sic Sacramentum suum instituit, sed dato pane jussit accipere & comedere corpus suum, dato calice jussit bibere sanguinem suum. Hæc Christus non animæ duntaxat sed corpori etiam nostro porrigit & exhibet. Quapropter iste divini instituti vastator & corruptor cœnam exspoliat, atque ubi spoliavit, ceu adhuc integro Sacramento atque ceu integra etiam fide sua ad Sacramentum, stuporem animi sui jactitat, scilicet, ut habeat materiam, qua animum virulentum in cœnæ direptione exercere & oblectare queat.

Animæ pasci.

Nec non facile intelligimus, quid appellet animæ cibum & potum, & quid illud sit substantiâ carnis & sanguinis Christi animas pasci. Illud enim ipsum est, quod Carolstadius & Zvvinglius ijsdem semper crepabant verbis, atque nihil aliud volebant, quàm cogitationes animæ evolare supra omnes cœlos, in palatium illud (ubi Christum eorundem discipuli sedere & spaciari ajunt) atque ibi Christum animo contemplari. Quod si itaque de substantia etiam loquantur carnis & sanguinis Christi, nihil hoc aliud sonat, quàm cogitatione habendũ esse, Christum substantiale habere corpus: &

ani-

animam substantiâ eius pasci, nimirum contemplatione subiecti in suo τῷ εἶναι. Similitudine hoc melius intelligitur. Sic enim se habet, ac si famelico & sitibundo homini in memoriam revoces opulentum aliquod convivium, quod olim erat à divite aliquo hospite paratum, ubi mensa omni apparatu instructissima animo obijcitur, jubeasque jam miserum hunc hominem animum suum pascere cogitatione substantiæ illius, quæ mensæ illi imposita est. Ecce, tantundem etiam isti promittunt & Ecclesiæ offerunt. Omnino enim nullum aliud animæ epulum ex omnibus suis principiis, Ecclesiæ famelicæ impostores isti instruere possunt, quàm hoc, quod ex meris imposturis & sarcasticis illusionibus miseriarum nostrarum in profunda fraudum suarum abysso coxerunt & paraverunt. Vbi usum & participationem cœnæ veræ diripiunt, & interim animos inanibus lactant rerum promissionibus, & verborum splendido ornatu, qui ornatus habendus est loco inauratarum illarum paropsidum, quibus tum sarcasmos, tum toxicum suum Ecclesiæ proponunt.

Addendum etiam hoc, ut toxicum hoc conscientiarum, quod propinant, penitus consideretur: Quid crudelius & truculentius excogitare poterant, quàm cùm indesinenter de spirituali manducatione & de pastu animæ verba fundant? nam primò illudunt Ecclesiam promissione rei quam dicunt remotiorem esse, quàm quicquam in omni rerum universitate: Deinde verò cùm idem ipsum indesinenter promittant, quod abstulerunt, & ut ludificationem suam pomposiùs instituant, inanes promissiones illas tantis verborum indesinenter instruant ampullis? quibus eò incumbunt, ut animæ non modò non pascantur, sed strangulentur potiùs, suffocentur & enecentur, cùm videant multa promitti, magna & excelsa promitti, nullum verò modum & aditum esse, ut illa comprehendere nobisque vendicare possimus, incredibili dolo Ecclesiam

siam transfigunt: abripitur enim τὸ ἐντὸν, substituitur metonymia, Christus accusatur falsitatis & battologiæ, res ab omni usu & perceptione aufertur in Vtopiam, commendatur interim cœna hæc orbata dapibus suis splendidè propter usum, si quis participare queat, multa de hinc deneceſsitate huius Sacramenti rerumque ibi exhibendarum, in medium egeruntur. Hoc pabulum, has tribulas & spinas, & hanc animarum carnificinam obiectant homines isti, ut animabus extremam adferant desperationem stragemque. Neque Diabolus omni in artificio suo nigrior & crudelior esse potest, quàm cum eiusmodi πανοργίᾳ Ecclesiæ jugulum petit. Atque hic est, propriè Calvinismus, id est, atrum Diaboli regnum circumfusum Ecclesiæ Christi.

Imo ut expressissimè omnia videas, hoc quoque animo tuo subjicere oportet, quòd homo iste suam sic ipsemet efferat sententiam de spirituali præsentia, qua absentiam rerum cœlestium in cœna astruere vult, ut hæc etiam verba ponat: *Certe adventus Spiritus & assensus Christi ἀντίθετα sunt; ideoq; fieri non potest, ut eodem modo secundum carnem nobiscum habitet Christus, quo Spiritum suum mittit.* *Ibidem. §. 26.*

Sunt equidem verba hæc, ubi dicit, Christum eodem modo secundum carnem nobiscum habitare non posse, quo Spiritum suum mittit, fusco obscuritatis colore aliquantulum obducta, ut frequenter etiam homo iste solet, sicubi rei evidentia nimium inclarescere vult: attamen satis intelligimus, quid hoc sibi velit ANTITHETON, quo astruit assensum Christi & descensum Spiritus inter se opponi, adeò ut unius præsentia alterius ponat absentiam: Christum enim hinc in cœlum ascendisse confiterur, ut sicut antea terram inhabitabat: ita jam mutato hospitio & migratione facta ad nomadas cœlestes abierit, quo adveniente Spiritum Sanctum ab illa sede cœlesti DESCENDISSE, & terram jam loco Christi occupare, atque hoc modo inter se duos hos monarchas imperium commutasse & finibus sese mutuò seclusisse, ut alter in *Christus & pi. SS. duo antitheta.*

alterius fines nunquam sit transiturus amplius, atque ibi regnaturus, hac enim commutatione Christum à commercio Ecclesiæ penitus sese abdicasse, & capi jam, ut inquiunt, cœlo, id est, pallatio longè supra terram.

Ex isto antitheto seu fundamento omnis Calvinianæ doctrinæ de cœna Domini, jam infert Calvinus ratione emigrantis Christi in cœlũ, & descendentis Spiritus è cœlis in terram, fieri non posse, nisi sit Spirituale epulum: Quod sic intelliges è fundamento isto. Primò, nihil ibi haberi, quod propriè sit Christi, neque enim carnem, neque sanguinem ipsius, multò minùs (ut & suprà ex verbis ipsius allegavimus) fructum & effectum corporis & sanguinis ipsius exhiberi. Sic enim migrationem ei affingit, illusor iste DEI hominumque, perinde Christus & regnum & regni sui bona omnia & seipsum cum bonis convasarit, atque eò se collocârit, ut longius à nobis abesse non queat. Deinde, quod de spiritu dicit, atque idcirco de spirituali manducatione, meræ sunt nugæ & ludibria. Spiritus enim DEI nihil nobis dat, nisi quod accipit à patre & filio, & vana sunt, quæ iste homo de descensu Spiritus loquitur, qui Christi absentis locum regnumvé acceperit; ex quo fallacissimo principio facilé intelligitur, quàm fallacia sint omnia, quæ de spirituali manducatione, & spirituali præsentia loquitur: atque sic aperta, ut cum de spirituali præsentia Christi loquatur, iu suis istis hieroglyphicis hoc velit, Spiritum complere vices absentis, imò absentissimi Christi, & Christi Spiritualem præsentiam hanc esse, ut sciamus perinde sonare, ac si diceret, Christi absentem esse præsentiam; illud autem, quod absentiæ vocabulo exprimere debebat, alio & ad Mangonismum aptiori exprimit, & appellat spiritualem præsentiam, id est, ubi spiritus Christum à cœna omnibusque Sacramentis exturbat, & omnia illa prædatur atque aufert, quæ Christus in Sacro suo legarat instituto: & sese insuper ut Regnum & possessionem Christi, cui omnes fines terræ subiecti erant,

Spirituale epulum.

collo-

collocat. Has technas & strophas sectæ huius hoc modo intelligere oportet, & ex principijs, quibus exstruitur, intelligendæ & judicandæ sunt: Quo fiet, ut quæ obscuritate aliquando involvuntur à deceptoribus istis, in apricum extrahantur.

DEMONSTRATIO FALLACIAE OCTAVAE.

QVàm in longinquum ab omni Ecclesia remotissimumque regnum, ut in cœna sese nullatenus exhibere possit, Christum Iesum Filium Dei Salvatorem nostrum, qui promisit se nobiscum futurum omnibus diebus usque ad consummationem seculi relegaverit, & ab omni Ecclesia excommunicaverit Calvinus hostis regni Christi, istis jam ipsius annotabimus verbis:

Corporis sui præsentiam à conspectu nostro consuetudineq; subduxit. Ibid. §. 36.

Item: *Nihil magis incredibile, quàm res* TOTO COELI ET TERRAE SPACIO DISSITAS ET REMOTAS IN TANTA LOCORVM DISTANTIA *non solum conjungi, sed etiam uniri, ut alimentum percipiant anima ex carne Christi.* Ibi. §. 24.

Itemque: *Nam ut Christum illic rite apprehendant, piæ animæ in cœlum erigantur necesse est. Quod si hoc Sacramenti officium est mentem hominis infirmam adeo adiuvari, ut ad percipiendam spiritualium mysteriorum* ALTITVDINEM SVRSVM ASSVRGAT. §. 36.

Mox: *Mentibus* SVRSVM *erigi iubet, & ipsum in cœlo quærere sedentem in patris dextra.*

Alibi: *Quasi verò si* AD SE NOS EVEHAT, *non aquè potiamur eius præsentia.* Ibi. §. 30.

Sicut & suprà: *Lectores iterum admonitos cupio, ut quid ferat nostra doctrina diligenter æstiment, pendeat ne à sensu communi an verò fidei* ALIS SVPERATO MVNDO *transcendat in cœlum.* Ibi. §. 24.

Ibi. §. 27. Itemque: *Dum verò sublimis fertur in aërem, & subiecta nube se amplius in terram quærendum non esse docet, tutò colligimus,* DOMICILIVM *nunc ei in cœlis esse.*

§. 29. Mox: *Dicit Petrus, oportere Christum* COELO CAPI, VEL COMPREHENDI.

Abunde ex his omnibus constat, quod Christi communicationem Ecclesiæ in universum adimat. Nam primò docet corporis ipsius præsentiam à nostra consuetudine subductam esse. 2. Res istas symbola atque corpus & sanguinem TOTO cœli & terræ spacio, DISSITAS ET REMOTAS esse, hoc est in extremitatibus supremis sibi mutuo opponi. 3. Locorum distantia maxima à se mutuo removeri: Quod verò de coniunctione & unitione simul inserit, & de alimento animæ, suprà explicatum est, & sese ex istis verbis manifestè evertit. 4. Animas in cœlum erigendas esse, ut Christum apprehendant. 5. In altitudinem sursum assurgendum esse. 6. Ad ipsum sursum nos evehi. 7. Fidei alis superato mundo transcendendum esse in cœlum. 8. In terra non esse quærendum amplius. 9. Domicilium eius in cœlis esse. 10. Capi cœlo. Atque hîc primo injuriam facit scripturæ, quare falsa interpretatione blasphemat; Deinde in ipsa falsatione satis aperit, quid velit nimirum Christum captivum teneri in cœlo, unde etiam addere voluit, ibi eum compræhensum esse. Ex qua captivitate Calviniſtæ eum dimittere nolunt ante novissimum diem. Quapropter tanto etiam cum clamore cœlum & terram implent, quamprimum audiunt eum nobiscum fore, etiam in hac terra, & daturum nobis corpus & sanguinem suum.

Horum omnium meminisse oportet quoties audis sectæ huius consortes de præsentia Christi, multa, ut & suprà annotavimus, & magna cum verborum pompa in medium afferre: sic enim omnia se habeant, ut tradere velint, Christum migrasse in domicilium quoddam cœleste, ibique mancipatum carceri sive custodiæ ad quem sursum profi-

proficiſcendum ſit jis, qui eum accedere velint: & quia omnia ſpacia, quæ inter cœlum & terram interjacent, peragranda ſint, volatu aliſque fidei opus eſſe, quærendumq; ibi ubi captus & comprehenſus eſt: eum deniq; credendum in cœna ſic præſentem eſſe, ut remotiſsimus ſit, & quòd tanto ſpacio à terra ſubductus ſit, ut nullam ſui penitus exhiberi poſsit cõmunicationem. Hæc Calvinus tradidit, hæc ſunt fundamenta, quæ omnes Calviniſtæ indeſinenter jactant & urgent. Qui iſtæc novit & nihilominus ſe decipi ipſorum fictis pollicitationibus ſinit, cùm Chriſtum ajunt ſubſtantialiter animas noſtras paſcere, & in cœna eſſe præſentem, meritò fuſtibus judicii Dei domandus, & comprimendus eſt. Hæc enim omnia aperiunt omnem ſtropharum atque technarum molem, qua Eccleſiam opprimunt, & Chriſtum primò penitus nobis adimunt: deinde in remotiſsimum abſtrudunt locum: Tertiò, indagandi quæ rendique omnem adimunt viam modumque. Quis enim fidei alis adeò ſurſum evolaret in locum remotiſsimum, atque inde rediret? cùm profectionis iſtius nulla habeatur in verbo præceptio, quapropter etiam nulla promiſsio, ſed ſimpliciter jubeamur ibi quærere Chriſtum, ubi ſe nobis in terra obſtrinxit & alligavit verbo ſuo? Alia ratione Chriſtum inveſtigare, eumque modum prætermittere, quo ſe nobis fiſtit, non modo eſt amentia, ſed etiam Luciferiana audacia & præſumtio, cui cervicis fractio proximè adhæret. Quid inſuper Eccleſiæ Chriſtus ille prodeſt, qui ſe à nobis ſubduxit, qui capitur & captus atq; comprehenſus eſt domicilio, non modò adeò longinquo à nobis atq; eſt oriens ab ortu, ſed etiam longè remotiori, ut quicquid cœli & terræ eſt, inter ipſius captivitatem noſtramq; miſeriam, interjaceat. Similiter quid nobis prodeſt illa, ad quã ſedet, dextera Dei, ſi ſurſum tantùm eſt, in eodem ſcilicet loco remotiſsimo? & vel carcer eſt, in quo ajunt Chriſtum captũ eſſe, vel certè cadem cum Chriſto circumſcribitur captivitate? Quid ſuſpiramus? Quid clamamus, ſi omnis phyſica

Vanitas fidei alis volandi in cœlum.

ista interiacent loca? quantum spacij preculæ siue gemitui nostro emetiendum erit, priusquam attingat remotissima illa claustra, in quibus Christum captum & cõpræhensum esse ferunt? Quis ille usus ascensus in cœlũ, mensa Domini instructa in terris? Quis ille ascensus, cùm cœna instruitur, & jubemur edere atque bibere in ipsa cœna, interim verò à mensa, à cibo & potu ibi parato, aliis subito assumptis jubemur aufugere & subvolare in locum, ubi Christo perpetua usque ad novissimum diem est decreta captivitas? Qualis cœna? qualis pastus? quæ mensa illa, in qua jubemur quærere ea, quæ sunt in omni naturæ curlu remotissima, & in extimis mundi partibus sita? Et quid in illa sublimitate quærimus? Hîc dum vivimus in terris, vita & resurrectione opus habemus, hîc Christo egemus, dum mortis premimur imperio, mensa hæc non est reiecta in locos remotissimos & toto cœli atque terræ spacio dissitos, sed hîc dum vivimus, dum spiramus, dum quotidie mortificamur, Christum quærimus se nobis iungentem, nostri miserentem & corpus largientem, quod pro nobis dedit, & sanguinem largientem, quem pro nobis effudit. His instructi, his vegetati, animati & vivificati, superata militia nostra tunc demum in regno gloriæ accumbemus cum omnibus electis, qui venient ab oriente, ab Occidente, Meridie & Septentrione. Verùm impia ista Calvinistarum cohors autore Calvino Hæresiarcha suo nos jam in cœlum perumpere, & per omnia cœli & terræ Physica spacia transvolare jubet, atque Christum ibi quærere, ut labyrinthis seducti nunquam eum inveniamus; Quod etiam certum est, si hîc non appræhendatur medijs quibus se obstrinxit, nullam ejus porro, neque in hac neque in futura vita habituros nos copiam.

Hoc quærit Diabolus, ideo mentes atque oculos nostros abstrahit & avocat à verbo & sacrosanctis Christi institutis, ut ἀτροβατοῦντας in extremo agone summoque animæ discrimine, homines in baratrũ deijciat desperationis, omnemque de Christo extinguat spem atque fiduciam.

DE-

DEMONSTRATIO FAL-
LACIAE NONAE.

SVbtexenda hoc quoque est loco Calvini hominis versi-pellis versutia & malitia in omni doctrina de reprobis participantibus cœnam domini: mirum est, quomodo huc illuc fluctuet, improbis sententiis, ut hominem undecunque advenientem, nassa sua circumveniat.

Primò enim simpliciter omnes reijcit reprobos à Christi participatione, vi commenti sui de occulto & absoluto judicio DEI, ut suam de prædestinatione sartam atque tectam conservet chymæram.

Sic enim inquit: *Scire velim quomodo ab una eius sententia se expediant adversarij, ubi dicit (Augustinus) Sacramenta in a solis electis efficere quod figurant, certè inficiari non audebunt, quin figuret in cœna panis Christi corpus. Vnde sequitur reprobos ab eius participatione arceri.* Ibi. §. 34. a Augustinus aliam habuit electorum definitionem.

Nolumus hîc plura adijcere, cum constet hanc ipsius doctrinam fuisse, reprobos simpliciter & absolutè ad interitum esse conditos, & ratione creationis alienos esse ab omni spe salutis atque vitæ æternæ: Hoc tantum simul consideretur, cœnam Domini istis reprobis nocentissimum appellari venenum, propter ventrem vitiosis humoribus repletum, nimirum prædestinationis vi, qua ad infernum conditos ferunt, & ideo efficere, ut reprobi, maiori ruina præcipitentur. Atque hæc ratio est, qua dicit eos arceri à participatione Christi. Ibi. fol. 40.

Deinde verò, si hanc duntaxat de reprobis sententiam indesinenter ingeminasset, malus & ignavus ad inescandas & perdendas animas auceps fuisset, idcirco ne fraudulẽto Diabolo suo ulla in re esset dissimilis, aliquoties eam sententiã involvere necesse habuit, & addidit (quo plurimos seduxit) omnibus hominibus, id est, reprobis quoque, offerri gratiam & salutem in cœna Domini, atque divinæ affectionis erga omnes homines testimonia ibi extare tradidit. Hæc enim sunt verba illius: Con-

Lib. 4. cap. 14. §. 7. Constituimus ergò Sacramenta verè nominari testimonia gratiæ DEI, ac veluti quædam benevolentiæ, qua erga nos affectus est figilla.

Mox: Itaq; certum est, nobis a Domino misericordiam ac gratiæ suæ pignus cùm sacro suo verbo, tùm Sacramentis offerri: verum non apprehenditur, nisi ab his, qui verbum & Sacramenta certa fide accipiunt: Qualiter omnibus in salutem oblatus à patre ac propositus Christus, non tamen ab omnibus agnitus exceptusq; est.

Mox: Bonam patris cœlestis erga nos voluntatem nobis ob oculos ponunt.

Ibi. lib. 17. §. 33. Itemque: Sed objiciunt, non posse hominum ingratitudine quicquam detrahi, vel intercidere de fide promissionum Christi. Fateor sanè & vim mysterij integram manere dico, quantumvis impij eam quo ad in se exinanire studeant. Aliud tamen est offerri, aliud recipi. Spiritualem hunc cibum OMNIBVS porrigit Christus potumq; Spiritualem propinat.

Mox ibi: Ita sacramento nihil decedit: Imò illibata manet eius virtus & efficacia, quamvis ab externa eius participatione inanes discedant impij. Si rursus objiciant, derogari huic verbo, hoc est corpus meum, si panem corruptibilem & nihil præterea impij accipiunt: In promptu solutio est. Deum nolle veracem agnosci in ipsa receptione, sed in benitatis suæ constantia, ubi INDIGNIS PRAESTARE, QVOD REIICIVNT, PARATVS EST, imò liberaliter offert, Atq; hæc est Sacramenti integritas, quam violare totus mundus non potest, CARNEM ET SANGVINEM CHRISTI NON MINVS VERE DARE INDIGNIS, QVAM ELECTIS DEI FIDELIBVS: Simul tamen verum est, non secus atq; pluvia super duram rupem decidens effluit, quia nullus in lapidem ingressus patet: Ita impios sua duritie repellere DEI gratiam, quo minus ad illos penetret.

Mox quoque: Objiciunt non debuisse fieri à Paulo reos corporis & sanguinis Christi, nisi eorum essent participes. Ego autē respondeo non ideo damnari, quod comederint, sed tantùm quod mysterium profanaverint, pignus sacrorum DEO coniunctionis, quod reverenter suscipere debebant, calcando.

Ex istis

Ex istis intelligimus Calvini fuisse doctrinam, etiam reprobis omne pignus sacræ cum DEO conjunctionis offerri, & liberaliter offerri, & paratum esse præstare, quod illi reijciunt. Hæc jam compara cum doctrina de prædestinatione, qua reprobos definit, ut homines, in quibus gratiæ divinæ mica nulla unquam esse debet: atque hinc conjicere potes, quanta sit in fallacijs istis Calvinianis rabies.

Tertiò, ex ijsdem jam observasti, tradi à Calvino, reprobos calcare & prophanare pignus sacræ cum DEO conjunctionis, quod reverenter accipere debebant: Itemque reijci ab his, quod Christus non modò dare paratus sit, & dare etiam his carnem & sanguinem suum non minus verè, quàm electis DEI fidelibus: ut & sic quoque alibi inquit:

Nam quatenus corpus illud suam esse vitam non credunt, qua possunt contumelia ipsum afficiunt omni sua dignitate spoliantes, ac demum SIC ACCIPIENDO, profanant & contaminant. Ibi. §. 14

Manifestè hîc sumtionem corporis & sanguinis Christi attribuit reprobis, ubi suos sectatores contra hanc sententiam nostra ætate plurimùm certantes, manifestè erroris arguit: Deinde verò seipsum in fundamentis prædestinationis suæ evertit & damnat, ut appareat hominem istum in ambabus sellis fuisse animal ἀμφίβιον, quod aridis & liquidis vivere potuerit, quo certè modo efficere potuit, ut cum Lutheranis Lutheranè, & scitè multa loqueretur, multosque consensionis specie ad se attraheret: Deinde verò in hoc attentus erat, ut omnes quotquot attraxerat, confestim Zvvinglij in hoc jam paratis suffocaret laqueis, quibus cùm sacrosanctam cœnam, tum omnia dicta & pronuntiata sua ubique compleverat.

NOVEM ISTHAEC ARGVMENTA sufficiunt ad demonstrationem præcipuárum fallaciarum, quibus in cœna Domini Calvinus usus, magnam & horrendam

rendam istam in Ecclesiam invexit dissensionem turbarumque facem, atque unus plus omnibus ex professo Christiani nominis hostibus Christianam religionem in mutuas accendit digladiationes, & insuper disjecit, atque gentibus in opprobrium Christi & Ecclesiæ projecit.

Homo fuit satis acuto ingenio præditus, sovafro autem & impetuosè in rem Christianam stomacho, invidiæ erga Christum & publicam tranquillitatem pleno, vani honoris cupido, tantaque malitia & improbitate transfixo & venenato, ut cùm partes Zvvinglij totumque Zvvinglianismum non modò tueretur, sed etiam amplificaret, interim tamen, ubi periculum sectæ nullum erat, illas (quanquam simulanter) vellicaret, & D. Lutheri vicissim verbis uteretur, perinde eius plus quàm Zvvinglij faveret sententiæ: Zvvinglij autem partes alio docendi genere, quàm crasso & palpabili illo, quo se is effuderat, propagare conatus est: Et dehinc D. Lutheri sententiam sic opprimere attentavit, ut teterrima, profanissima, & turpissima ei affingeret, atque sic statum perverteret, eaque ratione per aliud ostium, omnem adversus Christū & cœnam ipsius blasphemiarū molem in Ecclesiā evomeret.

Satis autem intelleximus, quibus rapinis cœnam universam & perdiderit & evacuaverit, quibus convitijs Christum adortus sit, qua vanitate inanium promissionum Ecclesiæ illuserit, quanto Diaboli repletus fuerit oleto ad mentiendum & adconspurcandam Ecclesiam. Atquê hæc diligenter pensitâri debent, ut appareat hominis istus doctrinam à scholis & Ecclesijs summa vi arcendam esse. Considerentur etiam ipsius sectatores, qui eodem spiritu impiam hanc & profanam eâdemque fallendi & mentiendi libidine doctrinam propagant, utrisque assiduè mendibulis omnia, ut libet, & asseverantes, & negantes quæcunque in buccam veniunt. Atq; licet horū improbitas magis atq; magis, in toto jam crebrescat orbe Christiano, tenendum tamē hoc est, à nemine horū ullum in omni hoc negotio

tio de cœna excogitari posse vel potuisse figmentum, ullumve conuitium, ullamve fraudem, cuius exemplar in Calvino prius vel ipsi non viderint, vel ipsis demonstrare non possimus. Sicut etiam nova nulla argumentorum ratio ab illis excogitabitur, quæ in promtuario isto, in quo Diabolus omnem adversus Dominicam cœnam, effudit vim suam, non extet. Atque hic Calvinus, ille, quem isti qui è spiritu ipsius geniti sunt, tantopere commendant, à quo tamen (flagitiorũ conscientiâ eroſi) non plus quàm à Diabolo ipso agnominari volunt: non quòd, hunc vel illum, Diabolum inquam vel Calvinum tantopere oderint, sed quia horum titulis minus Ecclesiam vastare & corrumpere possunt. Poterant autem ex scriptis discipulorum, Bezæ, inquam, Grynæi, Tossani aliorumque idem ipsum improbitatis argumentum quod in Calvini hoc scripto fecimus, demonstrari: verùm sufficit nobis, Calvinum à nobis perspicuè & solidè, licet breviter & succinctè detectum esse, à quo isti doctrinæ suæ originem ducunt: atque sufficit, feciſſe hoc in uno isto libro, in quo totius Calviniſmi continentur viscera, cùm ex cœteris Calvini scriptis idem quoque, si res aliquando postulabit, facere possimus.

Hæc retexisse multis salutare erit pijs cordibus, reliqui verò, qui abundè admoniti, suo tamen semper tanto cum periculo à Calviniano spiritu deludi & circumduci volunt, præter hanc delusionem, æternum ferent opprobrium justumque judicium. Quæ ad comprobationem veræ institutionis Sacramenti cœnæ Dominicæ pertinent, aliorum in libris copiosè sunt tractata, & solidè veritas asserta, atque eò remittimus lectorem, & præsertim ad simplicem & genuinum illum institutionis contextum, in quo tanquam in cœlesti vallo unusquisq; contra omnes tentationes & Calviniſtarum incursiones sub præsidio verborum Christi tutus esse potest: requiescat ibi sub alis Domini sui veracissimi & omnipotentissimi, sinatque Calviniſtas ut homines spiritui mendaci emancipatos freme-

re, & dentes collidere. Paravit ijs Deus ſtagnum ardens ſulphure, in quo has mendacijs purulentas fauces exuret; quod confutandi genus efficaciſsimum erit, cùm alioquin ſatis conſtet Magiſtratus & Eccleſias abundè admonitas, ſuas tamen ſubditorumque animas improbis iſtis hominibus indeſinenter objectare, atque ſic ſenſim alia ſuper alia religioni noſtræ introducere mala, donec iſtis progreſſibus Chriſtus & veritas ipſius, magis atque magis exoleſcant: Quod Chriſtiano populo gravem minatur pœnarum impendentium nimbum. Evigilemus autem, atque hæc quæ monemus intueamur: inſpiciatur ſaltem codex Calvini, an hominis verba ita ſonent, ſicut citavimus, comparentur inter ſe, quæ per ſummam fraudem inter ſe oppoſuit: conſiderentur quæ Chriſto imputet: quæ Eccleſiæ quoq; quàm falſo utrobique omnia: quomodo irrideat Chriſtianam religionem: quomodo ſublatis fundamentis, ad deſperandum, aut quod idem eſt ad futiliter credendum, inani & agyrtico luſu homines faſcinet: quomodo animas dubitatione excruciet: & cætera omnia, quæ brevi duntaxat huius demonſtrationis diagrammate delineare volui. Si ſic omnia ſe habent, & omnia ita ſunt demonſtrata, ut tergiverſandi occaſio nulla præbeatur, conſideretiã ſaltem homo, quisquis eſt, an à malitioſo iſto Calvino, cuius ludibriis fuit ſeductus, recedere, & ad Chriſtum Salvatorem ſuum redire velit, atque porro eum odiſſe, & verè odiſſe, qui adeò luculentis argumentis ſpiritum ſuum abundè prodit, Spiritum inquam, ex quo loquitur & ex quo tantam Eccleſiæ infert cladem. Hæc monemus, hæc urgemus, hæc omnia demonſtramus. DEVS benedicat laboribus, & operetur opus bonum in Eccleſia ſua propter nomen ſuum excelſum.

AMEN.